




- 1 De Pollice.
- 2 Scientia et ignorantia incontinentis
- 3 De procreantia actionum moralium principio
- 4 An Aristoteles cognoverit creationem.
- 5 De iure quo homini homo in sermone obligatur
- 6 In perdoctam fl. Iosephi De IESU CHRISTO
- 7 De iniusto Pontii Pilati Iudicio
- 8 De gynæceorata subsidia
- De sermone Brutorum
- De sterilitate mulierum
- De morte in Undis
- De Visu talparum
- De Nominib. atq. insignib. Lupinis
- De Metallorum transmutatione
- De expositione infantum
- De philantia

EX LIBRIS  
 ILLVSTRISSIMI VIRI,  
 DN. DAN. LVDOLPHI,  
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
 STATUS INTIMI, cetera,  
 BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
 TESTAMENTO RELICTIS.








PHILIPPUS  
POLITICUS

PHILIPPUS

PHILIPPUS

PHILIPPUS  
POLITICUS





ΣΥΝ ΘΕΩ.

DE

QVÆSTIONE

AN ARISTOTE-  
LES COGNOVERIT

CREATIONEM?

EXERCITATIO,

QVAM

Permissu spectatissimi Philoso-  
phorum Ordinis

PRÆSIDE

HENRICO RIXNERO

PHILOSOPH. MAG.

IN NOVI FULEI AUDITORIO MAIORI.

Ad diem Septemb.

Publicè defendet

IOHANNES CONRADVS *Schneider*

Suabacensis Noricus.



HELMSTADI

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.

ANNO MDCCCLIX.

*Ce 2103.*  
*an 3*

*+*





V I R I S

*Plurimum Reverendo Excellentissimo  
atq; Clarissimo.*

DN. M. JOHANNI HENRICO URSINO  
Pastori atque Superintendenti Purioris Ecclesiæ Ra-  
tisponensium Vigilantissimo, Consistorii Ecclesiastici  
Adfessori Primario, Scholarchæque  
meritissimo.

*Admodum Reverendo atq; Clarissimo,*

DN. M. JOHANNI GEORGIO LANGIO,  
ejusdem Ecclesiæ Pastori fidelissimo  
atque dignissimo.

*Clarissimo atque Præcellenti.*

DN. M. IOHANNI CHRISTOPHORO VVIDERO  
Gymnasii Poëtici Ratisponensis **RECTORI**  
longè meritissimo.

*Perquàm Reverendo atque Clarissimo*

DN. M. CHRISTOPHORO SIGISMUNDO DO-  
NAVERO, Pastori Ecclesiæ Ortenburgensis  
Aug. Conf. vigilantissimo.

Dnn. Mecenatibus, Patronis, Præceptoris, Fautoribus ac  
Promotoribus meis æternùm colendis,

*Hoc exercitium Academicum in grati animi requiescenti  
atque ulteriorem sui commendationem  
humili animo*

Dedicat & consecrat

Respondens.





DE  
 QVÆSTIONE  
 AN ARISTOTELES  
 COGNOVERIT CREA-  
 TIONEM?

EXERCITATIO.



QVÆstio quam proponimus non est nullius momenti. Sunt enim qui concessâ creatione Peripateticam doctrinam nimium labefactari, imò omnes Aristoteli nervos violenter incidi, persuasum habent: Sunt etiam, qui nescio quo ausu vel animo, omnem de creatione considerationem è Philosophia exterminant, & aliò quò minime decebat, referūt: quos propterea vel oppidò falsos, vel rerum philosophicarum ignaros a cunctis deprehendas, quæstione istâ, cujus affirmativam tuebimur, quantū opus fuerit expēsâ. Moneo autē seposita, in præfati multorum autoritate, ex solo Aristotele judicari Aristotelē oportere: Nam quod rectè & prudenter in Institutionibus Oratorij Fabius Quintilianus ait: *Non id statim legenti persuasum sit, omnia quæ omnes Autores dixerunt, utiq; esse perfectâ: Nam & labant aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati, nec semper intendunt animum, nonnunquam fatigantur: Cum Cicero dormitare interim Demosthenes, Horatio etiam Homerus ipse videatur.* Et Marcus Tullius: *Non tam autoritates in disputando, quàm rationis momenta querenda sunt: id etiam hîc valet.* Suppono porro, uti aliàs in probatio-

lib. 10. c. 1.  
 lib. 1. de nat. Deor. cap. 5.



bationibus non ubique clara & oculos feriens litera postu-  
latur, ejus autem vicem validæ & legitimæ consequentiæ  
supplent: Ita & in præsentimmotas sequelas totum nego-  
tium confecturas esse, ac sufficere, si loca ex Aristotele  
producta fuerint, quæ creationem evidenter & necessariò  
inferunt aut supponunt, quicquid de ipsa κίσεως voce sit,  
Aristoteli equidem, ut Doctores asseverant, non usurpata.

II. Dandum jam nobis est, creationem esse ex nu-  
mero possibilium, & lumine naturæ cognoscibilem. Quic-  
quid enim terminos non habet sibi invicem repugnantes,  
id possibile est, & saltem per absolutam Dei potentiam, fieri  
potest. Creatio verò, quæ est productio rei ex nihilo, ter-  
minos tales non involvit. Igitur possibilis est, & per po-  
tentiam divinam fieri potest. Major ex se patet: Nam pos-  
sibile illud est, quod contradictionem non implicat, sive  
terminos se invicem destruentes non habet: Velut Aristo-  
teles inquit lib. ix. Metaph. cap. III. ἐστὶ δὲ δύνατον τῶτο, ὃ ἐὰν  
ὑπάρξῃ ἢ ἐνεργεία, & λέγεται ἔχειν τὴν δύναμιν, ἔθεν ἔσαι ἀδύνα-  
τον. Hoc possibile est, cui si illius insit actus, cujus potentiam habere  
dicitur, sive, si ponatur in actu ad quem est in potentia,  
nihil eveniet impossibile. Quicquid autem absolute fieri non  
repugnat, seu absolute possibile est, potentia Dei est obje-  
ctum, & ita per eam produci potest: Quoad esse enim in-  
finitus ac independens est Deus; Ergo & quoad posse ac  
operari. Ex quibus etiam minor lucem suam sortitur:  
Nam si productio ex nihilo contradictionem implicat, om-  
nia produci necessum est ex præjacente subjecto & mate-  
ria: (produci quippe ex nihilo & produci ex aliquo, opposita  
sunt, quorum unum verum, si falsum alterum) Eo verò  
stante, ne Deus quidem aliter quam in materia poterit o-  
perari, & virtus porro supernaturalis agentis à virtute a-  
gentis naturalis nihil differet, dependens erit, & conse-  
quen-

quenter dependentem ac finitam essentiam supernatura-  
lis agentis importabit. Quod ipsum quam sit potius con-  
tradictorium nemo non videt. Manet itaque, Creatio-  
nem non habere terminos sese mutuo destruentes, & sic  
esse possibilem.

III. Cæterum quia non omne possibile naturaliter  
etiam cognoscibile est, deductione quadam ostendamus,  
creationem lumine naturæ posse cognosci. Ea autem hæc  
esto: Cælum ac terra, quia sui agnoscunt causam efficien-  
tem, (quod nunc ut indubitatum accipimus,) facta sunt vel  
ex aliquo & mediate, vel ex nihilo & immediatè. Non  
verò ex nihilo; quia supponunt materiam: Ergò ex aliquo.  
At si ex aliquo facta sunt, quæro quodnam illud sit? Ac in-  
gerit se, quam modò nominabam, materia prima. Illa vel  
rursus ex alia constat, & se priorem habet, vel non habet.  
Si habet, non est prima, & porro quæro unde alia ista sit?  
Si non habet, & nihilominus existit; per generationem et-  
iam producta non est. Igitur per creationem: agnoscit  
enim causam efficientem, etsi non agnoscat materialem.  
Atque ita relinquitur, creationem naturali ratione esse co-  
gnoscibilem. Accedit; quod nobilissimo & perfectissimo a-  
genti ejusmodi actio (loquor de transeunte) quæ perfectio-  
ni tantæ ex æquo respondeat, competat. Transeuntes  
autem in naturalibus subjectum, cui adstringuntur, respi-  
ciunt, & ex hoc imperfectionem includunt. Superfit itaque;  
oportet alia & supernaturalis, quæ subjectum non suppo-  
nat. Ea vero creatio est.

IV. Thomas de Aquino parte I. Summæ, quæst. XLIV. art. 1. in corp.  
ex eo, quod quæ extra Deum sunt, esse suum ab ipso parti-  
cipent, notitiam creationis videtur inferre. Quæstio enim  
ibi est: *utrum sit necessarium omne ens esse creatum a Deo?* quam  
omnino de entibus extra & præter Deum, & entibus qui-

dem positivis intelligi oportet, ne ipse Deus, qui, fatente quoque Thomâ, in entium numero est, à semet creatus dicatur & habeatur, vel in hunc censum privationes referantur. Respondet autem Thomas: *Necesse est dicere, omne, quod quocunq; modo est, à Deo esse. Si enim aliquid invenitur in aliquo per participationem, necesse est quod causetur in ipso ab eo, cui essentialiter convenit. Sicut ferrum fit ignitum ab igne. — Relinquitur ergo, quod omnia alia à Deo non sint suum esse, sed participant esse. Necesse est igitur, omnia quæ diversificantur secundum diversam participationem essendi, perfectius vel minus perfecte causari ab uno primo ente, quod perfectissime est.* Verba huc tendunt: Quæcunq; esse suum habent per participationem, habent id ab eo, cui ejusmodi esse essentialiter convenit. Sed quæ sunt extra Deum, habent esse suum per participationem seu communicationem. Ergo habent ab eo, cui ejusmodi esse essentialiter convenit: Et ex consequenti creata sunt. Ita Thomas.

V. Verum enim vero non satis illa nobis accurata videntur. Concedimus, ea omnia, quæ præter Deum sunt, à Deo esse, ipsique suam existentiam acceptam ferre. Concedimus etiam, quod Deus solus sit suum esse, sive id à se ipso habeat, nec ulla res alia præter eum à se ipsâ existat. Concedimus denique, ab uno, primo & perfectissimo ente, quæ diversificantur (ut Thomas loquitur) secundum diversam participationem essendi magis aut minus perfecte causari. Negamus autem, id omne quod per participationem in aliquo est, essentialiter convenire ei, quod causat sive participat. De pura existentia si sermo sit, equidem non refragor: Existentia enim non potest rei communicari, nisi ab eo, cui essentialiter convenit. Ut igitur e.g. Angeli existant (eorum enim existentia est per participationem) requiritur ut præexistat ipse Deus. Cæterum natura  
ange-

angelica Angelis à Deo communicata est, (nam & ipsi à Deo dependent) est que in ijs per participationem; nec dicere tamen licet, quod angelica, vel aliæ naturæ comunicatæ, Deo essentialiter competant. Exemplum verò de ferro ignito, quod tale ab igne fiat, particulare est, & universalem illam regulam tantum abest ut exhauriat, ut potius limitet. Ferrum enim, ita ignitum ab igne fit, ut in esse tali per illum intrinsecè constituatur. Sed non ex quacunque participatione statim provenit constitutio intrinseca, sive, ut clarius dicam, qui communicat non statim eo ipso intrinsecè constituit; quemadmodum tot participationum genera, quæ à causa efficiente proficiscuntur, argumento sunt. Sane causa efficiens potest producere effectum, specie à se diversum. Effectus itaque iste esse suum habet per participationem; nec ejus tamen constitutionem efficiens ingreditur. Hactenus ergo Major in argumento Thomæ vera est: Quæcunque habent esse suum per participationem ratione intrinsecæ constitutionis, & quidem quatenus uno conceptu illud absolvi potest; habent id ab eo cui ejusmodi esse essentialiter convenit: Vti materiaturum tale est à materia: paries albus fit ab albedine. Eo autem pacto Minor admodum ambigua erit & lubrica: si enim de intrinseca constitutione subsumatur, uti fieri omnino debet, nihil pro cognoscibilitate creationis naturali ex hoc argumento inferri potest; cum nulla sit consequentia: Quæ extra Deum sunt, habent esse suum quo ad intrinsecam constitutionem ab eo, cui tale esse essentialiter convenit; Ergo creata sunt: quia creatum esse dicit dependentiam à causa externa: Intrinsecè autem constitui, dependentiam à causa internâ. Sin ita subsumatur: Quæ sunt extra Deum habent esse suum per participationem, intelligendo, prout illud à causa  
exter-

externa dependet & productum est; quatuor terminorum vitio syllogismus oppidò laborat.

VI. Notanter autem limitationi Majoris adjeci: *quatenus uno conceptu illud absolvi potest.* Si enim esse rei duos essentielles conceptus involvat, ne tum quidem verum est, ea, quæ esse suum per participationem ratione intrinsecæ constitutionis habent, habere id ab aliquo, cui ejusmodi esse essentialiter convenit. Corpus enim naturale esse suum habet à materia & forma, (quæ sunt duo quidditatis & essentielles conceptus) & ex ijs intrinsecè constat; nec materiæ tamen competit esse corporeum, neq; formæ; sed ex unione illarum corpus naturale demum resultat.

VII. Etsi verò Thomæ ratio rem non componit, certum tamen est, & paulo ante evidenter patuit, creationem lumine naturæ cognoscibilem esse; id quod ante omnia monstrandum erat: nisi enim cognoscibilis naturaliter foret, frustra in quæstionem veniret, an Aristoteli cognita fuerit? Nunc verò, quoniam prius illud indubitatum est, non immeritò de perspicacissimo illo & absolutissimo Philosofo in specie quæritur, an creationem cognoverit, & an cum principijs eius illa conveniat? Id autem Simplificium, veterem Peripateticum, absolute negavisse nonnulli referunt. Et ita esse videtur: Nam in Commentarijs ad Octavum Physicorum, circa finem Digressionis primæ contra Joannem Grammaticum, secundum Aristotelis, ut opinatur, doctrinam ait: *Si non semper erat mundus, patet quod Deus illum condidit tanquam ex his que non sunt, qua sententia est eorum, qui laborant amentia valde. Quod vero ea, que à Deo producuntur, sine medio æterna omnino sint, & non fiant, Aristoteles patefecit.* Sed clarè & rotundè tamen mentem suam Simplificius non expressit; quin scribit in præcedentibus:

*Aristo-*

Fol. 230. b.

*Aristoteles causam cæli & æterni motus asserit esse ipsum Deum, etsi illud ingenitum, atq; expers interitus esse demonstrat: Et ad contextum istius libri decimum commentatus est; dicitur id genitum seu creatum, quod prius non est & postea est, & in aliqua temporis parte subsistere cæpit; qua significatione Aristoteles utitur genito, dividens ipsum contra æternum, sive, istam 7s geniti acceptionem æterno opponens. Hinc enim sequitur, 7o ingenitum seu increatum. Philosopho ad Simplicij explicationem illud esse, quod absque ulla temporis differentia semper est. Quod autem tali ratione (excepto tamen Deo) ingenitum & increatum est, alio modo, nempe ab æterno, creatum esse non repugnat. Huc pertinent, quæ in Commentario ejus LXXX. ad libr. I. Phys. leguntur: Aristoteles dixit, materiam esse ingenitam & incorruptibilem. Sed si ingenita & incorruptibilis (ajunt & obijciunt quidam) materia est, quomodo ergo ipsa prima non est aliquod principium, ceu etiam DEVS? Nam si ex Deo proficisceretur & produceretur, non esset ingenita. Respondet Simplicius: Aristoteles non dicit, ingenitum esse, eò (non accipit vocabulum ingeni in hoc sensu) quod non pendet à causa, sed quod aliquo temporis initio non est factum. — Aristoteles materiam prorsus ut elementare principium ponit, quod non erit contrarium efficienti nec finali cause. Item Comment. LXXXI. Aristoteles scribit ac voluit, esse causam effectricem cæli.*

*IIX. Negativam quoque dicitur arripuisse Averröes Cordubensis. Ejus discursum ex comm. IV. super VIII. librum Physicorum, ut considerari possit, subjiciam. Ex Aristotelis definitione motus, inquit, apparet bene, impossibile esse generationem esse ex non esse puro. Generatio enim est motus, & est necessarium rem motam esse in actu ad esse motus: & ideo impossibile est aliquod ens generari à nullo, quod est in potentia ens tantum, v. g. prima materia, secundum quod potest intelligi nuda*

B

à for-



*à forma, nedum ut generetur ex non esse. Et etiam apparet hoc  
idem ex significato huius sermonis, hoc generari ex hoc. v. g. album  
fieri ex nigro, & universaliter contrarium ex contrario. non est di-  
cere, quod ipsum contrarium mutatur in suum contrarium: Illam  
enim albedinem fieri nigredinem impossibile est, aut ipsum calorem  
frigus. Illud igitur, quod impossibile est transmutari in subiectum  
generati, & est illud, ex quo est generatio: & illud est subiectum  
contrarij. Et cum ita sit, & non esse est unum contrariorum, impos-  
sibile est ejus naturam mutari in esse: Ergo impossibile est aliquid  
generari ex eo, nisi per accidens: Ideo dicitur, quod dies fit ex nocte,  
id est, post recessum noctis, & frigidum ex calore, id est, post calorem.  
Est igitur necessario aliquid, cum quo adjungitur non esse, ex quo fit  
generatio essentialiter. Et hoc notum est per se. Et antiqui omnes con-  
veniunt in hoc. Ista Averroës; quæ dum non tantum ex sua,  
sed & Aristotelis, ut sibi persuadet, sententiâ asserit & di-  
sputat, cognitum ipsi quicquam de creatione fuisse, tradi-  
tur, ut dixi, negare. Iungam verba Iavelli ex libri XII.  
ad tertium. Metaph. quæstione v. Commentator (Averroës) inquit, in  
doctrinam physicorum in commentario quarto tenet, impossibile esse  
aliquid fieri ex nullo presupposito, quoniam omnis mutatio subie-  
ctum supponit; & deridet vulgum, credens creationem: Et B. Tho-  
mas arguit contra eum, utpote negantem absolute creationem, nul-  
la facta distinctione cum novitate, vel sine novitate essendi. Dico  
igitur inherens doctrinæ B. Thomæ, quod Averroës non admittit  
conclusionem primam; nempe, Aristotelem statuisse creatio-  
nem sine novitate essendi, quam Iavellus antea posuerat.  
Quod autem Commentator non concedat secundam conclusionem,  
videlicet, Aristotelem concessisse creationem cum novi-  
tate essendi, nulli est dubium exercitato in doctrina sua (ejus).  
Sic Iavellus; quanquam de Averroë secus alij sentiant.*

IX. Sed quod fortè Simplicius & Averroës obscu-  
re; Venerabilis Beda in Axiomatibus Philosophicis aperte  
& confidenter, ac uno quasi verbo negat. Aristoteli, ait,

in explicat.  
tituli: Mun-  
dus est x.



*creatio rerum ex nihilo fuit ignota.* Negavisse etiam Pletho<sup>tern. f. 195.</sup>  
nem in libro de ijs, quibus Aristoteles à Platone diffidet,  
cap. i. Henricum Gandavensem quodlib. iix. quæst. ix. Bes-  
saronem lib. ii. contra calumniatores Platonis cap. vi.  
Gregorium Ariminensem in ii. dist. i. qu. i. Marsilium in  
ii. quæst. i. artic. iiii. Iandunum ii. Metaphys. qu. v. testan-  
tur Conimbricenses ad iix. Physic. cap. ii. qu. ii. art. ii. &  
Suarez Disput. Metaph. xx. sect. i. num. xxiv.

X. Alij discrimine utuntur: Quia enim res vel per  
simplicem, quam vocant, emanationem, & ita creari pos-  
sunt, ut ratione durationis cum create semper existant,  
naturâ autem illo posteriores sint: Vel ita, ut tam duratio-  
ne quam naturâ antea non fuerint, & creatore simpliciter  
sint posteriores: quæ creatio temporalis & cum novitate  
essendi est: Hinc admittunt, Aristotelem creationem, sal-  
tim in primo modo, cognovisse; quod & Thomam asse-  
re ac probare opinor, cum in Summa Theologiæ scribit:  
*Aristoteles dicit in secundo Metaphysicorum, quod id quod est ma-<sup>part. i. qu.</sup>  
ximè ens, & maximè verum, est causa omnis entis & omnis veri: 44. art. i.  
sicut id quod est maxime calidum, est causa omnis calidi.* Crea-  
tionem verò in secundo modo, s. temporalem, agnovisse  
Aristotelem, olim negavit Augustinus Niphus in Exposi-  
tione Primi Physicorum, cujus ibi hæc sunt: *Animadverten-<sup>fol. 107.</sup>  
dum, quod creari potest intelligi dupliciter ex nihilo. Vno modo<sup>col. 1.</sup>  
in tempore; quia videlicet rem ipsam creatam nihil præcessit tem-  
pore, quomodo rationalis anima ponitur de novo tempore  
creata. Alio modo non in tempore, sed ab æterno, ipso nihilo  
precedente non tempore, sed naturâ, sive ratione nostra concipi-  
endi; quo nonnulli mundum creatum esse ab æterno ajunt ad men-  
tem Aristotelis, quatenus ipsum mundum præcessit non esse secundum  
rationem tantum. Quæstio nostra querit de creatione, quæ fit in  
tempore de novo. — Videtur igitur mihi, cum potestione dicen-<sup>col. 2.</sup>  
di aliter si aliter occurreret, quod Aristoteles per suum philosophan-  
di mo-*

di modum creationem temporalem non cognovit. Genus enim philosophandi Aristotelis, ut auctor est Themistius, & habetur Metaphysices primo, differt à ceteris. Ab veteribus quidem, quatenus obscuritates & stirpes illorum transtulit in perspicuam quandam & propriam expositionem, & vim probationibus & Syllogismis adjecit. A Platone verò eousq; videtur dissensisse, quod demonstrationes apertius illustriusq; inducit, quodq; earum principia à sensu & evidentibus rationibus sumit. Sic igitur philosophandi Aristotelis genus est per rationes sensibus conjunctas, vel illis quæ sensibus juncta sunt: quem philosophandi modum in ultimo libro Posteriorum scimus ab ipso esse explicatum. His sic stantibus oportet ea dare in doctrina Aristotelis, quæ vel ille explicat, vel sequuntur ad ea quæ explicat, vel saltem quæ suo philosophandi generi non repugnant. Dicere, aliquod est in tempore creatum ex nihilo, repugnat suo philosophandi generi: quoniam aliquod esse creatum vel creari, sensibus non subjacet, immò sensus transcendit, nec potest sumi ab aliquo, quod sensibus subjacet. — Propter hæc videtur mihi esse dicendum, Aristotelem cum suis principiis creationem in tempore nullatenus cognovisse. Hæc Niphus. Et Benedictus Pererius lib. v. Physic. cap. vii. Aristoteli, inquit, nunquam venisse in mentem, ut existimaret, creationem, quæ est nova rei ex nihilo productio, esse possibilem, perspicuum & ut opinor certum faciam ex iis paucis, quæ subjiciam. Subjecit autem decem rationes, quas, ut & modò adscriptam Niphi, ordine infra examinabimus ac discutiemus.

In 12. Met.  
quæst. 5.

XI. Sed Chrysofomus Iavellus, loco quem produximus, utramq; & temporalem, & eam quæ per simplicem est emanationem, Aristoteli perspectam fuisse statuit & propugnat. Dixerat: Adverte primo, quod ita res producat ex nihilo, quod prius duratione habuit non esse. & tunc dicitur creatio cum novitate essendi, qualem ponunt dicentes, mundum creatum in tempore. Secundo, quod ita res producat ex nihilo, quod solum prius

præter naturam & non duratione habuit non esse, & dicitur creatio sine novitate essendi, qualem ponunt dicentes, mundum creatum ab æterno. Nunc subnectit: Sit hæc prima conclusio: Aristoteles ponit ad secundam creationem secundo modo, id est, sine novitate essendi. — Secunda conclusio: Aristoteles concedit creationem primo modo, id est, cum novitate essendi.

XII. Primæ autem classis Autores, hoc est illi, qui Aristotelem omnis creationis cognitione plane ac simpliciter destitutum fuisse contendunt, urgeant (1) quod ipsa creationis vox apud Philosophum non reperiatur. (2) quod productio rerum ex nihilo cum principijs ejus stare non possit. Nam 1. passim inculcat, & tanquam certum supponit, ex nihilo nihil fieri. 2. Definit causam efficientem in ordine ad motum, qui, ut notum est, subjectum necessario requirit: Et potentiam activam in ordine ad passivam. Et licet à multis, ut excusent, prætendi soleat, Aristotelem cum ita definiret ad naturales tantum respexisse: Adhuc tamen videtur obstare, quod in ipsis Metaphysicis, quæ rerum naturas in genere, & quatenus ab inferioribus præscindunt, considerant, non aliter fecit, nullibique de causa supernaturali, & quæ ex nihilo quicquam sine subjecti concursu producat, locutus est. Certè Nicolaus Taurellus parte II. tractatus de Rerum Æternitate, hæc talia urget & scribit: *Multis in locis aperte docuit Aristoteles, ex materia & efficiente fieri quicquid fit.* *Ἀνάγνηθ' εἰναι τὸ γινόμενον, καὶ ἐξ ἑ γίνεσθαι.* *Quid multis opus est? Si nihil ex nihilo fieri possit, necesse est mundum à nullo unquam esse factum.* Regeritur: loqui inibi Aristotelem non de divina sed de nostrate naturalique actione. Credo equidem. At nunquam tamen fassus est, aliquam esse causam efficientem, quæ facere possit aliquid ex nihilo. Et cum non in Physicis modo, verum etiam in Metaphysicis multoties hoc ipsum asseruerit, manifestum est, ipsum effectorem nullam præter naturales agnovisse. Maxime verò *quod*

quod hac absolute, & citra omnem limitationem & exceptionem pro-  
pulerit. (3) Denique in secundi Metaphysicorum c. 1. Aristoteles  
inquit: principia eorum quæ semper sunt, verissima semper sint ne-  
cesse est. Cujus dicti hic fortassis sensus esse potest: Mate-  
ria & forma corporum cœlestium, tanquam sempiterno-  
rum & naturaliter nunquam interiturorum, non habent  
causas: quæ enim maximè vera sunt sive verissima, sunt cau-  
sa omnis veri, & causam aliam ante se non habent. At qui  
principijs istis causam nullam tribuit, is à se ipsis æterna esse  
affirmat; quod cum creatione & cognitione ejus directè pu-  
gnat.

XIII. Cæterum ad singula in promptu est responsio.  
Esto, apud Aristotelem *creationis* vocabulum non inveniri,  
nil tamen inde causæ decedet, si rem ipsam, quæ per illud  
denotatur, ibi offendamus. Nam etiam vocem *Trinitatis*,  
& alias similes Sacræ Literæ non habent, nec dicere licet,  
mysterij, quod eâ indicatur, fundamenta in Scripturis non  
extare; sicuti id S. Paschasius lib. 1. de Spiritu Sancto cap.  
iv. & v. recte docet. Porro verum est, Aristotelem adstru-  
xisse, ex nihilo nihil fieri. Communem enim hanc & rece-  
ptam naturalium Philosophorum opinionem esse libro xi.  
Metaph. c. vi. testatur: *Nihil ex non ente fieri, omne verò ex ente,*  
*fere omnium Physicorum est dogma.* Et in 1. Physic. cap. iv. Ana-  
xagoras, inquit, putabat communem opinionem Physicorum esse ve-  
rã, quod nihil sit ex eo, quod non est. — *Omne quod sit, necesse est fieri*  
*aut ex iis quæ sunt, aut ex iis quæ non sunt. Horum autem id quod est, ex*  
*iis quæ non sunt, fieri impossibile est: De hac enim conveniunt opi-  
ne omnes, qui de Natura scripserunt. Et alibi: Nos & ipsi dici-*  
*mus, fieri quidem nihil simpliciter ex eo, quod non est. — Mirabi-*  
*le autem est hoc, & impossibile sic videtur, fieri aliquid ex eo, quod*  
*non est.* In Physicis autem, & de Physicis agens, princi-  
pium illud Aristoteles usurpavit. Quis itaque tam stupi-  
dus est

rext. 33.34.

rext. 75.

2  
dus est, qui non advertat, axioma loqui de cursu naturæ,  
ejusque sensum hunc esse: Ex nihilo, seu eo quod non est,  
*naturaliter* nihil fieri. Fieri autem ex nihilo aliquid posse  
*supernaturaliter*, per hoc Aristoteles non negat.

XIV. Est etiam illud verum, quod causam efficien-  
tem in ordine ad motum; potentiam activam in ordine ad  
passivam definierit. Nam lib. II. Phys. cap. III. ait: *Causa* t. 296  
*efficiens est, unde principium mutationis primum, aut quietis;*  
*ut consultor causa: Pater filij, & omnino faciens facti, & mutans*  
*mutari.* Libro I. de Generatione & Corruptione cap. VII. t. 556  
*Effectiva causa est, unde principium motus.* Idem docet lib. II.  
de Generat. Animal. cap. VI. Quæ autem in secundo Physi-  
corum dixerat, Vt Metaph. cap. I. ad verbum repetit: Ef-  
ficiens causa est, *unde principium mutationis primum, aut quie-*  
*ris. Vt qui consuluit, causa: & pater prolis, & simpliciter faci-*  
*ens, ejus quod factum est, & transmutativum transmutati.* Ca-  
pite XII. potentiam activam describit per *principium trans-*  
*mutationis in altero prout alterum est.* Sed etsi ita fecerit Ar-  
istoteles, & causam efficientem, ac activam potentiam in  
ordine ad subjectum descripserit, inde tamen, quod cau-  
sam & potentiam supernaturalem non agnoscat, inferri  
haud potest: DEVS enim in agendo nonnunquam subje-  
cto absque omni imperfectione adstringitur. E. g. si ex la-  
pide lignum faciat; de quo causandi modo & potentia ne-  
gari nequit, quod sit supernaturalis. Si autem Deus, qui  
causa supernaturalis est, actum supernaturalem in subje-  
cto interdum exercet: Cur Aristotelicas causæ efficientis  
& potentia activæ definitiones ad physicas tantum restrin-  
gam? Equidem definitiones illas in naturalibus obtinere  
dubium non est, sed ita tamen, ut, quando in Metaphysicis  
adhibentur, omnis supernaturalis causandi ratio sine discrimi-  
mine non excludatur. Nam quod in Metaphysicis etiam ad  
multo

iu Disp. de  
potentiæ  
act. definit.  
&c. §. 15.  
16. 17. 18.

multò altiora, & causam ac potentiam, subjectum planè non supponentem, Aristotelesiverit & pervenerit, ex ix. Metaph. cap. i. manifestum est, ubi ait: *Potentia & actus latius patent quam illa, quæ secundum motum solum dicuntur.* Per illa verò Aristotelem divinam potentiam innuisse, alibi monstravimus; uti & illud, quod sub Aristotelis potentia activæ definitione (eadem ratio est causæ efficientis) non tantum omnes transeuntes naturales, sed aliqua etiam supernaturalis, ea scilicet, quæ res physicæ, utpote in quibus potentia est obedientialis ad actum supernaturalem, mutari possunt, comprehendatur.

c. 2. qu. 2.  
art. 2.

ad text. 4.

ad secund.

XV. Quod locum ex secundi Metaphysicorum primo capite attinet, pro nobis ille faciet, si rectè explicetur. Rectè autem & ad Aristotelis mentem exponunt Conimbricenses, dum per *principia sempiternorum*, non materiam primam vel formam, sed ipsam causam primam efficientem, DEVM, intelligunt. *Ille locus*, inquiunt in Comment. ad ix. Physicorum, *aliter est interpretandus, ut sensus sit: Eorum quæ semper sunt, id est, corporum cælestium & intelligentiarum, quæ nunquam intereunt, principia, hoc est, causam efficientem, finem, & exemplar, quod utiq; est ipse DEVS, non habere causam. Quo nihil verius.* Et Petrus Fonseca Commentarijs in libri ii. Metaph. caput. i. *Non est Aristoteles hac conclusione complexus materiam primam, non solum, quia non est prima causa simpliciter, cum non sit causa substantiarum separatarum, — sed etiam, quia non est maxime ens, sed potius, quæ infimum entitatis gradum teneat. Reliquum est igitur, ut solam primam causam finalem, efficientem, & formalem externam, quæ est exemplar rerum omnium, vocarit principia verissima, quod sane verissimum est, cum ratio harum causarum in solum DEVM opt. Max. cadere possit.* Iavellus in ii. Metaph. quæst. iv. triplicem effectum illius Aristotelici sententium facit. *Primo: Principia semper*

semper existentium cum sint semper, non habent aliquam causam ut  
sint aliquo tempore, & aliquo non, sed illa sunt causa aliis, id est, his  
inferioribus per motum cœli, quæ cum sint generabilia, aliquando  
sunt, aliquando non sunt. Cum hoc tamen stat, quod recipiunt esse  
sempiternum à primo. Secundo: Principia semper existentium, id  
est, intelligentia, quæ sunt principia motiva corporum cœlestium, non  
habent causam ut sint, scilicet mobilia, vel quod moveantur, sed  
sunt causa alijs, scilicet corpori cœlesti, & his naturalibus, quod  
moveantur. Tertio: Licet Philosophus loquatur in plurali, tamen  
intelligit pro singulari, quasi dicat: cum principium primum semper  
existentium, quales sunt intelligentia & corpora cœlestia, sit pri-  
mum & maxime Ens, non habet causam ut sit, id est, à nullo pen-  
det, sed est causa aliis. Adjungit: Hæc tertia expositio videtur  
magis consona consuetudini Aristotelis. Consuevit enim, dum  
loquitur de separatis, sæpe transferre à plurali ad singulare, & è  
converso. Quod ibi probare annuitur. Franciscus Suarez  
Disput. Metaph. xx: Per illud plurale; principia sempiternorum; sect. 1. n. 35.  
solum Deum intelligere videtur Aristoteles, vel propter eminenti-  
am ejus, vel propter plures causandi rationes. Etiam Scotum  
ad Deum digitum intendisse opinor, quando in Expositione  
secundi Metaph. scripsit: Aristoteles concludit: principia summ. un.  
c. 2. n. 7.  
semper existentium, id est, corporum cœlestium, cujusmodi sunt sub-  
stantia separata, semper necesse est esse vera, id est, sunt verissima:  
Cujus assignat rationem duplicem. Primo, quia non quandoquæ  
sunt vera & quandoquæ non: & in hoc præcellunt generabilia &  
corruptibilia, quæ quandoquæ sunt, & quandoquæ non sunt. Secundo,  
quia illis non est alia causa, scilicet suæ veritatis, sed illa sunt causa  
alijs; & in hoc præcellunt corpora cœlestia, quæ licet sint sempiterna,  
tamen habent causam sui esse, & sui motus. Ad eum modum illi.

XVI. Contra, textum Aristotelis perverse admo-  
dum exponit, & violenter adulterat Taurellus, solus so-  
mnia sua aliquid esse opinatus. Liberales age simus, & tan-

C

tum

loc. cit. fol.  
863. seq.

2. met 1.  
4.4.

tum chartæ, cui inscribantur, nunc impendamus. *Locus est egregius, inquit, & explicatu dignissimus, quem nescio an quisquam rectè intellexerit. Verba sunt Aristotelis: ἐν ἴσμεν δὲ τὸ ἀληθὲς ἀνευ τῆς αἰτίας. Ἐκαστὸν δὲ μάλιστα αὐτὸ τῶν ἄλλων, καὶ ὁ καὶ τοῖς ἄλλοις ὑπάρχει τὸ συνώνυμον, οἷον τὸ πῦρ θερμότητος. καὶ γὰρ ταῖς ἄλλοις τὸ αἶτιον τῆς θερμότητος. ὡς κὲ ἀληθέστατον τὸ τοῖς ὑπερίοις αἶτιον τῆς ἀληθείας εἶναι. Διο τὰς τῶν αἰεὶ ὄντων ἀρχὰς, ἀναγκάσιον αἰεὶ εἶναι ἀληθεύσας. Rerum semper existentium principia necesse est semper esse verissima. Expendit hanc Aristotelis positionem Taurellus, & ait: Quid per hasce res intellexit Aristoteles? An corpora cœlestia & intelligentias? Nihil minus. An materiam & formam corporum cœlestium? Minime gentium. Quid autem de his asserit Aristoteles? An hoc; ea causam non habere? Nequaquam. Nostram, si lubet, expositionem audi. Principia rerum semper existentium, semper sunt necessario verissima. Per verum esse hic Aristoteles designare voluit τὸ ἀληθὲς εἶναι, verè id esse, quod dicitur esse quidpiam. ὡς δ' ἑκαστὸν ὡς ἐχει εἶναι, ἔτι καὶ τῆς ἀληθείας. Ita veritas est rei cuiusq̄, ut ejus est essentia. Quantum essentia, tantum etiam est veritatis. De quibus hic ergo rebus agitur? Num de æternis? Sic putant. Nos aliter. Totus examine tur contextus. Vnum quodq̄, maximè id est, quod cæteris, ut sint, est causa. Τὸ συνώνυμον hic idem & nomen, & essentiam designat. Ut calidissimus est ignis. Etenim cæteris causa est ut calida sint. Manus mea calida est, propterea quod calidissimum contigerit lapidem. Hic non ex se ipso calidus erat, sed ab aqua fervente calorem conceperat, in quam injectus fuit. Et aliunde etiam calida erat aqua, nempe ab igne, qui non aliunde calorem accepit. Ignis ergo est τῶν αἰεὶ ὄντων ex iis res una, quæ semper sunt. Nunquam enim non calidus est. Quod in iis tamen usu venit, quæ ab igne calefacta sunt, sæpius enim sunt frigida. — Ignis semper verè est calidus, non aliquando, neq̄ ab alio habetur calidus fit. Num igitur ignis nullam agnoscit causam superiorē*

rem?



rem, à qua calorem acceperit? Hoc docere videtur Aristoteles, Calorem non accepit aliunde, sed essentiam tamen à generante accepit, quam sequitur calor. A quo generante? Ab alio & prius existente igne. Unde hic? Ab alio. Unde rursus hic? Ab alio. Nullam hic ergo causam aliam præter ignem primam agnoscit Aristoteles? Ita est. Vera ergo est eorum sententia, qui negant, Aristotelem ullam aliam agnovisse causam efficientem præter físicas.

XVII. Audivimus! sed cum tædio, nec tamen sine admiratione. Miramur, ad textus seriem provocare Taurellum, & præcipere ut integra examinetur, ab ipso verò susquè dequè illam haberi, & Aristotelis præmissa verba pro lubitu, sine ulla collatione exponi. Miramur, ea quæ exempli & illustrationis loco Aristoteles attulit, à Taurello tanquam primarium negotium, de quo ex professo dictum & disputatum sit, incogitanter arripi. Demiramur, ex malè intellectis & impertinenter positis aliquid ad extremum collectum, & optimo Philosopho affictum esse. Sed iste Taurelli mos est, ut nulla non grandia crepet, & nec cœlum interim nequè terram attingat. Nos nunc scopum, ad quem Philosophus primario collimat, prius manifestabimus, & sensum verborum ejus, de quo controversia est, deinceps eruemus.

XIIX. Docuerat in capitis principio Aristoteles, veritatis cognitionem homini partim difficilem esse, partim facilem. Et quod difficilis esset inde probârat, quia dignis modis eam nemo hætenus consequutus sit, aut consequi possit: quia etiam, si ad singulos quis Philosophos transferit, & quantum quisque veritatis cognitioni addiderit, diligenter advertat, vel nihil vel parum adjectum esse, in propatulo sit futurum. Quod tamen ex parte facilis quoque foret, probârat inde, quia omnes ab ea ita non aberrant, ut nihil prorsus veri cognitum habeant, sed potius, si omnia, quæ

Omnes huc contulerunt, coacerventur, in magnum veritatis cumulum excretura sint. *Speculatio de veritate* (ipsius Aristotelis verba damus) *partim difficilis partim facilis est. Signum autem sive indicium ejus est, quod neque satis eam aliquis assequitur, neque tamen aberrant omnes ab ea, sed quisque aliquid de natura & essentia rerum dicit: & singuli quidam aut nil aut parum ei addunt, ex omnibus vero collectis aliqua magnitudo fit. Quare si ita se videtur habere, ut in proverbio dicimus; Quis aberrabit à janua?* (Etsi fieri potest, ut ab interioribus domus aberretur, nec ea omnibus statim pateant; ab ipsa tamen janua, & in limine domus nemo facile aberraverit) *hoc modo profecto facilis esset. Totum a. & partem dignè & accuratè habere non posse, hoc ejus difficultatem ostendit.* Nempe primorum & universalissimorum principiorum veritas facile innotescit ac intelligitur; ob hoc enim quod prima & communissima, etiam notissima sunt. Cetera autem axiomata & pronuntiata, quæ sub primis quasi partes comprehenduntur, & sic, ut illa, se nobis non ingerunt, difficulter cognoscuntur.

XIX. Hæc ita Aristoteles præmiserat. Postea ostendit: Veritatis considerationem ad speculativam Philosophiam, cum primis autem Metaphysicam, spectare, & inquit: *Rectè se habet, Philosophiam contemplativam scientiam veritatis appellare. Speculativa enim finis veritas: Nec Philosophiam illam & Metaphysicam veritatem tantum considerare, sed considerare quàm maxime, cum consideret prima rerum principia sive causas primas, quæ utique maxime vera sive verissima sint: illud enim maxime tale esse, quod causa est omnibus alijs ut sint talia, ipsum verò ut tale sit nullam causam habet. Quoniam igitur prima illa rerum principia cause sint alijs omnibus, tum ut existant, tum ut vera sint, ipsa autem causam suæ existentiae & veritatis nullam agnoscant: ideo*

ideo verissima esse. *Nescimus*, inquit Aristoteles, *verum sine causa. Unumquodque verò id ipsum maximè aliorum est*, (unumquodque præ cæteris maxime tale est) *secundum quod alijs univocatio inest*, (quod est causa univoca alijs ut sint talia) *ut puta ignis est calidissimum: Etenim cæteris hic est caliditatis causa. Quare verissimum etiam est id, quod posterioribus, ut vera sint, causa est. Concludit: Propter quod principia semper existentium, necesse est verissima esse. Ratio est: Primò; Nec enim aliquando vera sunt, aliquando verò non, sed vera sunt semper. Secundo; Nec illis ut sint, aliquid aliud causa est, sed illa cæteris causa sunt, ut existant. Ex quibus tale tandem consuetarium colligitur: Quare ut secundum esse unumquodque se habet, ita etiam secundum veritatem.*

XX. Ita patet quid principaliter intendat & concludat Aristoteles: nempe, ut repetam, Metaphysicam considerare veritatem quam maxime, medio inde desumpto, quod prima rerum principia seu causam primam consideret, quæ utique sint maxime vera. Illa autem ad quodnam causarum genus pertinent? Sanè non materialia sunt, sed efficientia (alioqui impertinenter exemplo ignis, qui alijs caliditatis causa efficiens est, usus fuisset): quod & ipse Taurellus fatetur, prioribus suis ista jungens: *Turpiter hallucinantur, qui de causis materialibus hic Aristotelem agere existimant. Καθ' ὅσον τοῖς ἄλλοις ὑπάρχει τὸ συνώνυμον. Id quod alia sibi similia facit, maxime dicitur esse tale, qualia dicuntur esse cætera. Causarum ista est efficientium descriptio, non internarum & constituentium, quales sunt materiales. Et hæc porro principia ut sint & existant, juxta Aristotelem causam non habent, sed existunt ex & per se, suntque alijs potius ut existant causa. Ex quo evidens est, Aristotelem locutum esse de causa efficiente prima. Quæ autem hæc? Respondet Taurellus, esse ex Aristotelis opinione Ignem. Verum quo fundamen-*

damento? Vbinam Philosophus five in Metaphysicis, si-  
ve alibi de igne tanquam prima causa agit? Vbi dixit, I-  
gnem effecisse seu produxisse substantias? Etiam qui per to-  
tum vitæ suæ tempus talia curiosissimè apud Aristotelem  
quærat, ne vel levissimum eorum indicium inveniet. Recti-  
us itaque dicitur: Aristotelem vocabulo *principiorum* seu  
causæ primæ, intellexisse *DEVM*: de eo enim tanquam de  
principio & causa efficiente prima ipsum in Metaphysicis  
egisse, vel ex libro duodecimo notum est. Imò lib. I. Met.  
cap. II. diserte ait: *Deus (non ignis) tum causa omnibus esse  
videatur, tum quoddam principium.* Quid, quod in fine capitis  
III. expresse negat, Ignem esse rerum effectricem aut con-  
servatricem causam? *Ut entia, inquit, bene se partim habe-  
ant, partim fiant, nec ignem fortassis nec terram, nec aliud hujus-  
cemodi quicquam verisimile est causam esse.* Nihil obstante  
particulâ *ἵως*, quam etiam in re certissima Aristoteles ad-  
hibere consuevit. Et silentio prætereundum non est,  
quam malè cum Aristotele egerit Taurellus. Ut Philo-  
sophus id, quod intendebat, recte inferret, præmit-  
tit, unumquodque præ cæteris maxime tale esse, quod est  
causa univoca alijs ut sint talia, idque exemplo ignis, qui  
cæteris caliditatis causa sit, illustrat. Taurellus ista, quo  
cavillandi ansam haberet, a vide arripuit, & quasi de igne,  
prout causa caloris est, ex instituto tractaretur, Ignem ex  
Aristotelis mente primam causam constituit.

XXI. Quæ verò Aristoteli ista *αἰὲν ὄντα* s. semper exi-  
stentia? Dici optime potest, ut à principio explicabatur,  
quod sint corpora coelestia, ut quæ ab ipso passim æterna  
vocantur, quæ scilicet nullum naturale agens datur, quod  
destruat. Ignem autem esse, iterum vult Taurellus. Sed  
modò statuit, Aristotelem ignem constituisse causam pri-  
mam efficientem, & præter illum aliam non agnovisse.

Qui

Qui fieri ergo potuit, ut ignem hic sub sempiternorum nomine comprehenderet? Nam per *principia sempiternorum* secundam hanc Taurelli explicationem Aristoteles assereret, quod ignis sit principium & causa efficiens ignis, & consequenter causa sui ipsius. Tam verò absurdum & sui oblitum Philosophum fuisse, ne pueris quidem Taurellus persuadebit.

XXII. Denique, quo sensu Aristoteles principia illa vocat verissima? Verbis apertissimis & tortam Taurelli glossam palam arguentibus semet ipsum explicat. Nempe ideò verissima dici, quia *illis ut sint & existant aliquid aliud causa non sit, sed illa ceteris sint causa ut existant.* ἡ δὲ ἐκείνης αἰτίας ὅτι πᾶσι τῶν εἰσὶν, ἀλλ' ἐκείνης τοῖς ἄλλοις. Ut ita nemini obscurum amplius esse queat, totum Philosophi textum, cui exponendo modò intenti fuimus, huc tendere, quod DEUS causa sit cæli rerumque omnium: quo sane nihil verius, nihilque ad inferendam creationem ejusque cognitionem valentius.

XXIII. Veniamus nunc ad secundæ classis Auctores, five eos, qui Aristoteli temporalis, & quæ cum novitate effendi est, creationis cognitionem absolutè derogant. Adduximus autem Augustinum Niphum, & Benedictum Pererium. Ac Niphus quidem olim urfit, quod Aristoteles principia demonstrationum suarum à sensu desumat, totumq; ejus philosophandi genus sit per rationes sensibus conjunctas: Creationem vero temporalem, vel, ut ipse loquitur, aliquid in tempore esse creatum vel creari ex nihilo, sensus transcendere, iisque non subjici; imò sumi ab aliquo non posse, quod sensibus subjacet. Quæ ratio primo aspectu non videtur nullius valoris esse. Verum enim est, quanquam cum salis grano accipiendum, Aristotelem principia demonstrationum suarum desumere à sensu & experientia.

entia. Nam perquam manifesta sunt, quæ lib. ii. Poster. Ana-  
lyt. capite xvii i. (ad quod, licet non citet, ipsum quoq; Ni-  
phum respicere opinor) leguntur: *Ex ipsa experientia, inquit  
ibi Philolophus, proficiscuntur omnis artis ac scientiæ principia.*  
— *Scientia quidem, si ad eam pertinent, quæ eadem semper sine ul-  
la mutatione permanent. Neque igitur certi cuiusdam generis ha-  
bitus sunt nobis natura insiti, quibus principia intelligamus, neque  
ex aliis habitibus prioribus ac notioribus oriuntur, sed sensibus mo-  
do tribuenda est hujus cognitionis origo. Paulo post: Cum se ali-  
quod individuum sensibus offeri, tum primum animo comprehendi-  
tur universon genus. Etenim singulare quidem est quod sentitur,  
sed sensus ipse intimaque cogitatio ad genus universon pertinet.*  
— *Animus aliquamdiu in hac atque illa communi notione conqui-  
escit, idque eousque persequitur dum ad simplicissimam aliquam  
latissimeque patentem notionem perveniat. Veluti huius atque  
illius generis animantia tantisper considerat, dum ad communem  
animalis notionem perveniat, ac deinde pari ratione ex hoc genere  
ad alia progrediatur. Ex iis planum est, prima initia inductione  
fieri nobis manifesta: quid enim aliud est profecta hoc modo à sen-  
sibus notitia, quam inductio? Hac ibi Aristoteles, Quibus  
multum consona addimus ex libri i. Poster. c. xv. Illud jam  
propemodum est perspicuum, inquit, cui sensus aliquis desit, neces-  
sario scientiam aliquam defuram, quod eam discere jam, ac perci-  
pere non possit. Quicquid enim discitur, aut inductione aut de-  
monstratione cognoscitur: ac demonstratio quidem rebus universon  
continetur, inductio ex rebus singulis conficitur. Atque rerum uni-  
versarum citra inductionem haberi cognitio non potest: id quod vel  
apertissime ostendunt ea res, quæ cogitatione abductæ, & ab ijs rebus,  
quæ subsensum cadunt, separate, non possunt tamen plane ac per-  
fecte intelligi sine inductione. Et quanquam hæc, hoc ipso quod  
ad sensum traducuntur, non iam quasi abiunctæ separateque intel-  
liguntur, semper tamen in ijs aliqua insunt, quæ non nisi hac ratione  
mani-*

manifesta fieri possunt. Libro VI. Ethic. cap. III. Omnis scientia  
ejusmodi est, ut doceri; scibile verò, ut disci posse videatur. Ex  
præcognitis autem fit omnis doctrina, ut in Resolutorijs etiam dixi-  
mus: Nam altera ex inductione fit, altera ratiocinatione. Atque in-  
ductio quidem principium est universalis, ratiocinatio ex universa-  
libus. Sunt igitur principia, ex quibus constat ratiocinatio, quo-  
rum non est ratiocinatio: Ergo inductio. Libri I. Metaph. capi-  
te I. Omnes homines natura scire desiderant, signum autem ejus  
est sensuum dilectio. — Experimenti apenè simile quid scientia ac  
arti esse videtur. Per experientiam autem ars & scientia homini-  
bus efficitur. Largiamur igitur Nipho, Aristotelem demon-  
strationum principia desumere à sensu, ejusque philoso-  
phandi genus (si indiscretim id non intelligatur) esse per-  
rationes sensibus conjunctas. Sed quod sub hac proposi-  
tione subsumit (1) de ipsa creatione & creati, quod sensi-  
bus non subjaceant: (quamvis concedi hoc possit: nam cre-  
atio est facere & fieri indivisibile ac momentaneum, quod  
sensibus usurpari nequit). (2) Non posse creationem & cre-  
atum esse sumi ab aliquo sensibus subjacente: Atque hinc  
tandem infert, Aristoteli creationem temporalem fuisse  
incognitam; id considerationem, & seriam correctionem  
meretur.

XXIV. Ac primò quidem cum conditione principio-  
rum demonstrativorum rem demonstrandam egregiè Ni-  
phus confundit. Aristotelem principia demonstratio-  
num à sensu petere dixerat. Vnde etiam tantum de princi-  
pijs ad creationem ducentibus, subsumi oportebat: nem-  
pe principia à sensib<sup>9</sup> & sensibilib<sup>9</sup> peti non posse, quibus cre-  
atio demonstraretur. Neque enim nunc quæri potest, an ipsa  
creatio, vel creati aut creatum esse, ut quod per principia  
demonstrandum demum est, sensibus subjaceat vel non  
subjaceat: sed an principia à sensib<sup>9</sup> desumi nequeant, per quæ  
D crea-

creatio demonstraretur, & nos in ejus cognitionem deveniamus. *Deinde* falsum est, non posse per ea, quæ sensibus subjacent, creationem colligi: uti ex deductione patet, quam pro naturali creationis cognoscibilitate supra instituebamus. *Certe* corpora naturalia tum simplicia tum mixta sensibus subjacere, nemo qui sensus habet negaverit: Ad creationem verò nos deducunt: quia enim mixta ex elementis, & hæc rursus ex materia constant, de istâ ad extremum quæstio erit, unde originem trahat: Et nisi in infinitum ratiocinatione tua abire velis, sistendum tibi in aliqua prima est; quæ, cum ex alia priori producta non sit, dependeat tamen à causa efficiente, consequentiæ evidentia judicatur creata esse. *Denique* fingamus, recte dixisse Niphum, quod creari vel creatum esse non possit sumi ab aliquo, quod sensibus subjacet, hautquaquam tamen de creatione *temporali* inde præcise concludi potest, quod Aristoteli fuerit incognita: quia ratio, quod is principia demonstrationum suarum petat à sensu, à quo principia ad eam ducentia defumi nequeant, æque (si quidem hoc posterius conceditur) valet ad derogandam Aristoteli cognitionem creationis sine novitate essendi, ac temporalis.

XXV. Misso Nipho (qui, ut postea subjicietur, re re-  
ctius considerata sententiam mutavit) Pererij tentemus  
umbonem. Is vero argumentorum ac testimoniorum  
(quorum plurima tamen unâ & eadem ferè responsio-  
ne everti poterunt) magno apparatu probare anniti-  
tur, Aristoteli nunquam venisse in mentem ut existima-  
ret, creationem temporalem esse possibilem. *PRIMO* op-  
ponit loca quibus Aristoteles dixit, *Ex nihilo nihil posse fieri:  
Esse impossibile ex simpliciter non ente aliquid fieri.* Sed jam  
pridem ostendimus. Aristoteli de cursu naturæ & agenti-  
bus naturalibus sermonem esse, quæ ex nihilo, seu simpli-  
citer non ente facere nihil posse, verissimum est.

1. Phys. 1.  
33. 34.



XXVI. Urget *SECUNDO*, quod in *Physicis* Philosophus  
statuat, non quodlibet fieri ex quolibet, sed unumquodq; ex suo oppo-  
sito, quod sit contrarium vel privatio. In *Metaphysicis* autem. O-  
mne quod fit, ex aliquo, & aliquid fieri. Eadem autem quæ antea  
responsio hic valet. Qui quintum *Primi Physicorum* ca-  
put, unde Pererius textum illum desumpsit, vel obiter sal-  
tim legit, nec videt, Aristotelem ibi de principijs natura-  
libus, ad naturalem rerum generationem necessarijs, lo-  
qui, illum utroque oculo captum esse certus sum. *Omnes*, text, 41. &  
ait ibi Philosophus, *contraria principia physica faciunt*. — 42.  
Quod igitur contraria quodammodo omnes faciunt principia,  
manifestum est. Oportet enim principia neq; ex alterutris esse, neq;  
ex alijs, & ex his omnia: contraria autem primis insunt hac, ob id  
quidem quod prima sunt, non sunt ex alijs: ob id vero quod sunt  
contraria, non sunt ex alterutris. In septimo verò capite VII,  
*Metaphysicorum* persequitur Aristoteles cœptam præce-  
denti capite disputationem adversus ideas Platonis. Ete-  
nim existimabat Plato, nisi ponerentur ideæ quædam re-  
rum cujusque speciei, realiter ab ijs abstractæ, ad quarum  
imitationem res generarentur, generationem omnem im-  
possibilem fore. Id Aristoteles impugnaturus, hic non-  
nulla, quæ ad institutum illud pertinebant, de rerum natu-  
rali generatione tradit, & ex ijs capite sequenti Platonis  
ideas evertit. Infit igitur *Cap. VII: Eorum que sunt, alia na-  
turâ, alia arte, alia casu sunt. Omnia item que sunt, & ab ali-  
quo, & ex aliquo, & aliquid sunt.* — *Ac generationes hæc qui-  
dem naturales eorum sunt, quæ à natura gignuntur. Id autem, ex  
quo res fit, materia dicitur.* — *Omnia quæ sive natura, sive arte  
sunt materiam habent.* Vti autem de naturali rerum gene-  
ratione Aristoteles hîc tantum loquitur, ita & de naturæ  
cursu intelligenda sunt, quæ post aliqua adjicit: *Impossibile*

D 2

est quicquam fieri, si nihil antea existat. Etiam Caput IX. à Phy-  
fica generatione exorditur: Cum id quod fit, & ab aliquo fiat,  
(hoc autem id esse dico, unde generationis principium est) & ex ali-  
quo (esto autem hoc non privatio, sed materia) & sit etiam id quod  
fit, ut globus aut circulus, aut quicquid aliud contingat, sicuti ipsum  
as, quod subiectum est, non facit, ita neq; globum, nisi per accidens,  
quia nimirum globus aeneus, quem facit, globus utiq; est. Etenim,  
hoc aliquid facere, est hoc ex omnino subiecto, h. e. materia pri-  
ma & informi, facere.

XXVII. TERTIO movet, quod Aristoteles semper de-  
finit causam efficientem, per esse principium motus, nec usquam  
vel leviter innuat modum efficiendi per creationem, imò nullibi  
aliquam mentionem vel etiam verbum faciat creationis.

QUARTO, quod definit potentiam activam per passivam, dicens  
illam esse principium transmutandi aliud in quantum aliud; & apud  
eum nullum possit esse agens absq; patiente. Resp. Quo sensu

Aristoteles causam efficientem in ordine ad motum, & a-  
ctivam potentiam in ordine ad passivam definerit, indica-  
vi supra: Vti & hoc, quod præter naturalem causandi &  
agendi rationem, aliam & supernaturalem omnino co-  
gnoverit: Vnde hîc repetere superfedeo. Quantum ad

rem igitur mentionem creationis fecit Philosophus, (quod  
& infra seorsim probabitur) quicquid sit de voce, quam  
ideo quod expressa ab ipso non est, rem dubiam non face-  
re, thesi XIII. dictum fuit. Gratis etiam dicuntur, quæ

QUINTO adfert: Nempe Aristotelem, uti clarum sit legen-  
ti ejus libros, in omni productione requirere subiectum, ter-  
minum à quo, videlicet privationem, vel contrarium, motum,  
locum, tempus, prævias dispositiones, concursum causarum parti-  
cularium, quæ res nullo modo cadant in creationem. Quid opus  
erat toties coctam crambem denuò apponere? Certum est  
& ambabus manibus largimur, illa omnia cum creatione  
non

non consistere: Certum tamen & istud est, nec legentem Aristotelis libros potest latere, illum ista, si simul sumantur, non in omni, sed solâ naturali productione requirere.

XXVIII. *SEXTO* inquit Pererius: *Aristoteles, (ut censent veteres Peripatetici, licet multi alij docti & graves viri contra sentiant) non concedit infinitam virtutem (ut vocant) in vigore; neq; immediatè sine causis secundis quicquam de novo posse à Deo fieri; nec eum aliter agere actione transeunte, quam per motum & lumen cœli; nec operari liberè, sed ex necessitate naturæ.* Resp. Censeant ita ex veteribus nonnulli. Non negat tamen Pererius, multos alios doctos & graves viros contra sentire. Neque nos, etsi omnes ita censerent, sed ex Aristotele sufficienter non ostenderent, imò si aliud ex illo monstrari posset, vel tantillum moveremur. Protestati hinc pridem sumus, autoritates in præsentem seponi oportere. Vellem verò, Pererium, qui cum veteribus facit, indicia quædam istius asserti ex Aristotele apposuisse, quod quum factum non est, solâ negatione, quæ vel ille, vel veteres hâc in parte dixerunt, excuti poterant. Ne quid tamen in nobis desideretur, age verbo contrarium ex Aristotele monstremus. Libro XII. *Metaph. c. iix.* Deum vocat *principium ac primum entium*, h. e. causam primam. Præcedenti vero septimo capite inquit, *Atali principio tum cœlum tum natura, (quæ causæ secundæ sunt) dependet.* Quod si Deus secundum Aristotelem prima rerum causa est, & ab eo cœlum adeoq; & motus ac lumen cœli, imo tota natura & naturalia dependet ac producta sunt, quâ quæso veritatis specie ex Aristotelis doctrina erui poterit, Deum absque secundarum causarum, & motus ac luminis cœlestis concursu non agere nec agere posse actione transeunte? Neque enim causæ istæ secundæ cum primâ concurrere poterant antequam existerent, & ab ea causarentur. Ut aper-

tam contradictionem involvat, Deum juxta Aristotelem  
 esse primam & omnium rerum causam, & tamen secundum  
 eundem absque ijs agere non posse; vel has ipsas in actioni-  
 bus Dei transeuntibus necessario concurrere; concurre-  
 rent enim ante sui productionem. Ex quo jam & hoc evi-  
 dens est, secundum Aristotelis Philosophiam dari infinitam  
 virtutem & vigorem. Quidni enim infinitæ virtutis sit, qui se  
 solo, & nemine cooperante, omnia produxit? Quanquam  
 non nesciam, *Infinitem vigorem* ab alijs aliunde peti, & de  
 virtute activa, indeterminatum cœli motum immediatè  
 causante, explicari. Quod vero Deus liberè & contingenter  
 non ex necessitate naturæ, ad Aristotelis mentem, opere-  
 tur, ex x. Ethic. cap. iix. ut loca alia prætereamus, evi-  
 dens est. Ibi enim Aristoteles: *Qui menti congruenter agit,*  
*hancq; excolit, & optime affectus & Deo charissimus esse vide-*  
*tur. Nam si aliquam humanarum rerum curam dii habent, sicut*  
*videtur, consentaneum fuerit ipsos gaudere re optima, atq; ma-*  
*ximè cognata: Id verò mens fuerit: eosq; qui id maximè amant &*  
*honorant, remunerari, utpote qui sibi amicorum curam habeant,*  
*recteque & honeste agant. Hæc autem omnia sapienti maxi-*  
*mè inesse obscurum non est. Is igitur est Deo charissimus.*  
 Fatetur hinc Aristoteles, Deum bonorum & sapientum  
 curam habere, eosque remunerari: quod ipsum liberè ac  
 contingenter fieri quis dubitabit? Nam si ex naturæ necessi-  
 tate ita ageret, æquali affectu bonos malosve prosequeretur,  
 & istis æque ac illis bona conferret. Certe Conimbricen-  
 ses & Murcia diffiteri non audent, munera ista & amorem  
 videri non necessitatis, sed libertatis esse: Qui & Ari-  
 stotelem in Topicis dixisse referunt, quod Deus facere  
 multa possit quæ non faciat: Quanquam interim conclu-  
 dant, Deum agendi libertate circa mundi productionem  
 & res

Con. 1.  
 Phys. c. 2.  
 q. 5. a. 2.  
 Murc. ibid.  
 Disp. 1. q. 1.

& res præcipuas universi, ab Aristotele exui. Quid? quod secundum Aristotelem animæ rationales in tempore à Deo creantur, ut in fine Dissertationis ostendemus. An vero ejusmodi actio necessitatis, & non potius maximæ libertatis est? Si enim ex naturæ necessitate Deus operaretur, ab æterno animas illas produxisset. Equidem, ut illud hic addam, si de actionibus immanentibus loquamur, Deum ex sententia Aristotelis agere ex necessitate naturæ, negare nolim. Deo enim, ut notum est, non solum intellectum tribuit, sed & mentem eum appellat. Intellectum autem divinum unquam otiosum & absque actione esse, impossibile est.

XXIX. SEPTIMUM Pererij argumentum ita habet: *Amplius Aristoteles, & Peripatetici putant, evidenter demonstratam esse æternitatem materia primæ in 1. Phys. t. 82. illo argumento, quia si unquam fuisset producta, oportet eam productam esse ex aliquo subjecto, quare ante primam materiam fuisset alia, & sic res procederet in infinitum. Sic & in IX. Physic. ac alibi, æternitatem motus, temporis, & mundi statuisse Philosophum, & toties inculcasse ac commendasse. Resp. Citatus ex primo Physicorum textus perversè & contra Aristotelis mentem à Pererio explicatur. Aristoteles isthæc loci planè non loquitur de productione materiæ primæ tanquam à causa efficiente, neque illam tale principium habere negat; negat autem tantum, eam habere principium materiale, & ostendit, quod per se ac quoad substantiam suam nec generetur nec corrumpatur, cum ipsa primum subjectum sit unde cætera omnia generentur, & in quod ultimum abeant. Imò si fiat ex alia, vel in eam resolvatur, & primæ tamen sit, esse illam antequam existat, & corrumpi priusquam corrumpatur. Secundum potentiam, ait, & substantiam incorruptibilem & ingenitam necesse est ipsam (materiam) esse. Si enim fiat & generetur, subjici aliquid oportet primum, ex quo*

quo inexistente fiat: Hoc autem est ipsius natura: quare erit ante-  
quam fiat. Dico enim materiam, primum subjectum uniuersu-  
jusq; ex quo fiat aliquid, cum insit, secundū accidens; & si corrup-  
pitur aliquid, in hoc abibit ultimum: quare corrupta erit, ante-  
quam corrumpatur. Hæc evidenter Aristoteles, quæ nihil fal-  
si, nihil de materiæ æternitate, qualem quidem Pererius  
fingit, continent. Quod si antiqui fortè Peripatetici, quos  
Pererius laudat, ex Aristotelis isto textu similem materiæ  
primæ æternitatem adstruere conati sunt, (quod persuasi  
nondum sumus) rem Peripateticis dignam non fecerunt,  
& hoc nomine à recentioribus, qui Aristotelis intentum  
rectius assecuti sunt, multum superantur. Audiamus Au-  
gustinum Niphum, Pererij alias complicem, in expositio-  
ne textûs LXXXII libri I. Phys. De materiæ generatione, inquit,  
atq; corruptione nunc Aristoteles brevibus se expedit: & vult  
quod materia — per se & propriâ naturâ corrumpi non potest;  
nunquam enim potentia illa intercedit quæ in materia est; igitur  
neq; unquam genita, neq; unquam interitura. Declaratur: quia  
si materia posset generari, cum nihil fiat ex nihilo, necessarium  
esset subjectum aliquod, ex quo manente antecedenteq; ut cætera  
res, produceretur. Hoc autem nihil aliud est quam ipsa materia:  
Ita eveniet ut fuisse videatur antequam fiat. Similiter si corrumpi  
posset, in materiam demum solveretur, ita corrupta esse videbi-  
tur, antequam corrumpatur. Eadem est explicatio Cardina-  
lis Francisci Toleti in Commentarijs istius loci: Materie  
singularem proprietatem, ait, ultimo loco tradit Aristoteles, nem-  
pe esse per se incorruptibilem. — Substantia ejus & potentia sem-  
per manet, ob id incorruptibilis est per se. Hoc autem probat: si  
enim materia esset corruptibilis, tunc fieret: cum autem in omni  
mutatione oporteat aliquod præsupponere subjectum, ergo ante pro-  
ductionem materia deberet procedere aliquod subjectum, sequitur  
jam, quod esset antequam esset, nam illud subjectum esset materia  
prima:

prima: Nam materia est primum subiectum, ex quo inexistente fit aliquid per se: Hac enim est ipsius definitio. Vtlierius si corrumpitur, in aliquod ultimum resolvitur: Ergo esset corrupta antequam corrumpere, illud enim ultimum materia est: Ac si clarius diceret; cum in omni generatione semper aliquid sit praeexistens subiectum, & in corruptione aliquid permanens, non poterit materia generari, nec corrumpi, illud enim subiectum permanens & antecedens esset materia, non autem id quod fit aut corrumpitur. Hæc Toletus. Accedant Conimbricenses, qui institutum & verba Philosophi eodem modo explanant: Absolvit Aristoteles materia tractationem, docens materiam per se & suapte natura, seu ratione substantia neq; generationem neq; interitum subire. — Non gigni autem, nec interire per se materiam ex eo ostendit, quia gigneretur ante suum ortum, & ante suum interitum interiret, quod fieri nequit. Hoc autem sequi eâ ratione demonstrat, quia quicquid fit (scilicet naturaliter) ex aliquo, quod primum subicitur, necesse est fiat; & quod interit, in aliquod ultimum subiectum intereat oportet; quod sane nihil aliud est, quam materia ipsa, quæ propterea definitur primum cuiusq; subiectum, ex quo insito unumquodq; generatur, & in quod, si quidpiam interit, postremo resolvitur. Ita etiam illi.

in Explan.  
c. 9. l. 1.  
Phys.

XXX. Quæ porro Pererius, innumeros alios & communem sententiam ea in re secutus de mundi objicit æternitate, quam toties Aristoteles inculcaverit ac commendaverit, sua sponte cadunt, si phrasis, materia subiecta, & intentum Philosophi ubique rectè observentur. Nam vox, ÆTERNUM, apud Aristotelem in Physicis non sumitur rigoroſe, prout aliquid, omni plane principio & fine carens, denotat, sed in sensu physico & quatenus opponitur naturaliter corruptibili. Hæc in significatione cœlum lib. I. t. 21. de cœl. cap. III. vocatur αἰδιον. Si circulare corpus, ait Aristoteles, neq; augmentationem habere contingit, neq; diminutionem, rationabile est & inalterabile esse. Quod igitur sempiternum, & neq; augmen-

E

augmen-

augmentationem habens, neq; diminutionem, sed insensibile, & inalterabile, & impassibile est primum corporum, si quis suppositis credit, manifestum ex dictis est. Sic & textu xx, ac xxi. cœlum incorruptibile appellat, eò quod contrarijs non substat. Aristoteles itaque cum cœlum aut mundum æterna esse dicit, non vult, quod à nullo agente producta sint, & omni plane principio ac fine careant: sic enim solus DEVS æternus est: neque hoc quod ab æterno à Deo creata sint (licet Philosopho vulgò tribuatur): sed quod naturaliter non intereant & corrumpantur, atque sic in natura perpetuo existant. Cui accedit quod ipse Aristoteles expresse docet, vocem *incorruptibilis* diversimode accipi. In undecimo hujus libri capite, duas ejus tradit significationes. Incorruptibile enim ipsi dicitur (1) quod sine corruptione quandoq; quidem est, quandoq; non est: ut homo & alia corpora naturalia, quæ cum prius sine corruptione sint, posterius non sunt. (2) quod existit, & impossibile est non existere: quo pacto, si absolute & Metaphysicè loquamur, Deus incorruptibilis est; si autem restrictè & physicè, cœlum & mundus rectè dicuntur incorruptibilia, quia per naturam impossibile est ut non existant: haud enim substant contrarijs, nullumque tam validum inter naturalia agens externum datur, quod destruere possit. Et hanc incorruptibilis acceptionem maximè propriam vocat Aristoteles: sed rigorosissimè intellectam non ubique obtinere indicat cum porrò inquit: λέγεται δ' αὐδαρτον, καὶ τὸ μὴ ῥαδίως φθαρόμενον; dicitur autem incorruptibile, & quod non faciliè corrumpitur.

XXXI. OCTAVO objicit Pererius; Aristotelem libro 1. de Cœlo, pro confutatione sententiæ Platonis, qui cœlum ab aliquo principio natum dixerat, sed nunquam interiturum, hanc maximam ponere: *Omne quod incipit esse, aliquando desinet esse*; nam quod tale sit, factum esse ex materia, & hinc corruptibile. Resp. Caput & textum, quo  
contra

text. 114.



contra Platonem Philosophus ita disputet, Pererius equi-  
dem non produxit. Non dubito tamen quin digitum ad  
textum cii. decimo capite comprehensum, intendat. Ibi  
Aristoteles: *Genitum coelum omnes esse dicunt. Sed genitum,*  
*hi quidem sempiternum, alij verò corruptibilem, quemadmodum*  
*quodcunq; aliud eorum, qua natura constant.* Platonem illum  
esse, qui mundum & coelum genitum, & sempiternum ta-  
men ac incorruptibilem statuerit, Doctores hîc commu-  
niter annotant. Et patet evidenter ex contextu cix, ubi  
Platonis Timæum Aristoteles inducit: *sunt quidam, aïens,*  
*quibus fieri posse videtur, & ingenerabile quippiam existens cor-*  
*rumpi, & genitum incorruptibile perdurare, ut in Timæo: ibi enim*  
*ait Timæus, id est, Plato sub Timæi persona, coelum factam*  
*quidem esse, non tamen esse corruptibile, sed fore quidem reliquo*  
*semper tempore.* Contra Platonis assertum hoc principium  
ponit Aristoteles: *Genitum esse, sempiternum tamen esse, dicere,*  
*impossibile est.* Ac si argumentetur: Quicquid ex materia  
genitum est, corruptibile & in materiam resolubile est.  
Coelum verò si ex materia, ut Plato statuit, est genitum.  
Ergo & in eam resolubile, & consequenter non æternum  
est. Non simpliciter Aristoteles dixit, finem id habiturum,  
quod esse incipit: Minus verò, factum esse ex materia, quod  
à principio aliquo natum est, (absurdissimum enim illud  
in Philosophia Aristotelis): sed desitutum aliquando, quod  
esse ex materia habet: & cum ex Platonis sententia coelum  
genitum ex materia sit, (neque enim hîc Platoni neq; Ari-  
stoteli de principio efficiente sermo; ut ex integro Philo-  
sophi discursu patet; licet ita Pererius fingat) etiam id cor-  
ruptibile esse. Quis verò jam dicat, hæc talia cum creatio-  
ne non consistere?

XXXII. *NONVM* Pererij argumentum sic habet: *Di-*  
*spuratio Aristotelis, qua luculenter tractatur in septimo libro*

E 2

*Metaph,*

*Metaph. & priore parte libri duodecimi, formam non posse produci per se nec immediate à substantiis abstractis, nonne admissa creatione labascit? Resp. si unquam aliàs, sanè hïc mala fide cum Aristotele egit Pererius. Neque enim in septimo, neque in duodecimo Metaphysicorum libro, talis qualem Pererius somniat, disputatio reperitur. Et vellem equidem non libro tantùm, sed & librorum capita, quò inspiciendi copiam haberemus, adducta esse. Interim nomine substantiarum abstractarum, vel ideas Platonicas (de quibus Aristoteles in medio ac fine septimi, nec non calce duodecimi Metaphysicorum) vel intelligentias ac Deum Pererius intelligit: Et per formas, quarum meminit, vel materiales, vel immateriales. Si ideas Platonis; jam rectissimè dixit Philosophus eas nullam formam producere, cum tales non dantur. Sin intelligentias & Deum; etiam sic verè dictum, quod formas materiales immediate & absque materiæ concursu producere non possint, cum hæ materiæ in conceptu suo involvant. Falsum verò est & plane fictum, in aliquo librorum Aristotelis vel minimo apice statui, quod Deus formas immateriales immediatè nequeat producere; quia ex sententia Aristotelis, ut infra ostendam, anima rationalis creatur. Eam autem, prout corpori conjuncta est, formam esse immaterialem, nemo ignorat.*

*XXXIII. DECIMA & ultima ratio est, quod Peripatetici sic ratiocinati sint: Si Deus potest creare res ex nihilo, aut is agit liberè atq; contingenter, aut ex necessitate nature. Si contingenter, cum sit infinita virtutis — non posset Philosophus ullã causam reddere de magnitudine, numero, perfectione & ordine earum rerum quæ sunt in mundo: Etenim hæc omnia penderent ex libera voluntate Dei, qui si voluisset, multò plures maiores & perfectiores res creare potuisset. Sin autem agit ex necessitate nature, & habet infinitam virtutem ad creandum ex nihilo, cum in ipso nihilo nullus sit*  
*termi-*

terminus aut modus, deberet sanè semper in infinitum novas rerum species efficere: nam si agit ex necessitate naturæ, agit quicquid potest, & quantum potest. At potest in infinitum. Ergo. Quamobrem cum Peripatetici animadvertent, admissa creatione omni ex parte consequi gravissimam incommoda contra suam ipsorum disciplinam, nullo modo possent in animum inducere, ut eam concederent. Ita Pererius. Resp. (1.) Mutatur controversiæ status. Non de Peripateticis, sed Aristotele ipso jam quæstio est, an temporalem creationem cognoverit? Ratiocinentur itaque ac cogitent illi quicquid voluerint, nihil id ad ipsum Aristotelem. (2) Si ita, ut Pererius refert, Peripatetici veteres collegerunt, equidem non parum ineptè argumentati sunt. Deum enim, quantum ad actiones transeuntes, secundum Aristotelem ex naturæ necessitate non agere, sed libere & contingenter, jam tum supra indicavimus. Vnde in collectione ista falsum supposuerunt. Ast quæ consequentia: Deus juxta Aristotelem agit liberè & contingenter, infinitæ etiam Virtutis est: Ergo reddere Aristoteles non potest causam & rationem magnitudinis, numeri, perfectionis & ordinis earum rerum, quæ sunt in mundo; quia cum ex libera Dei voluntate penderent, multò plures, majores & perfectiores creare potuisset? Nulla omnino: Neque additâ probatione suffulcitur, vi cujus argumentum ita invertimus; Si juxta Aristotelem Deus libere agit, & infinitæ virtutis est, ratio assignari à Philosopho potest, cur non multo plura, majora & perfectiora produxerit. Per infinitam enim virtutem potuit, sed ob libertatem agendi quam habet non voluit.

XXXIV. Atque hæc ad Argumenta Pererij. In quibus id quoque quam maxime desideramus, quod nullum eorum, si unicum forte de *Mundi* & *Eternitate* excipias, rectè quod debebat infert: Nempe, Aristotelem temporalem

creationem non cognovisse. Expresse enim Pererius scribit, se probaturum, *Aristoteli nunquam venisse in mentem, ut existimaret creationem, quæ est nova rei ex nihilo productio, hoc est, temporalem, esse possibilem.* Et quod de temporali loquatur, inde quoque constat, quia ad rationem creationis ut sic, non requiritur essendi novitas, velut ipse Pererius lib. v. Phys. c. vii. fatetur: *In cuius (creationis) ratione, inquit, ponitur ut sit ex non subiecto, non autem ut fiat de novo, vel, ut quod creatur prius duratione fuerit non ens.* Unde in eisdem libri cap. v. Creationem definit, quod sit *productio rei immaterialis & incorruptibilis ex nihilo, quæ immediate fiat à Deo;* nullâ factâ mentione essendi novitatis. Comparata igitur argumenta sic esse debebant, ut prona & evidenti consequentiâ elici inde queat; Aristotelem *creationem temporalem* non cognovisse: Etenim & ille, qui omni prorsus creationis cognitione Aristotelem exuit, Pererij rationes poterit urgere.

XXXV. His ita expensis, à doriri Thomam & Iavelum poteramus, qui, quod Aristoteles creationem sine essendi novitate cognoverit & posuerit, supra asseruerunt; (quamvis iste temporalis notitiam Aristoteli recte adscripserit) nisi fundamentum, quo nituntur, jam tum evertissemus. Nam *probatio hujus conclusionis pendet ex hac, quod Aristoteles ponat, Deum primum produxisse cælum & intelligentias ab aeterno:* ut ipse Iavellus lib. xii. Metaph. quæst. v. fatetur & loquitur. Hanc, inquam, hypothesein antea explosimus. Si quis autem rem commodè proponat & dicat, Aristotelem cognovisse, quod Deus sine essendi novitate & ab aeterno creare potuerit, eum equidem rectissimè loqui opinor: quanquam tunc non tam ipsius creationis sine essendi novitate, quam ejus possibilitatis cognitio Aristoteli tribuatur.

XXXVI.

XXXVI. Restat ut loca & principia ex Aristotele pro-  
ducantur, quæ creationem necessario supponunt & infe-  
runt. Ac primò quidem talia ponemus, unde creatio in  
genere demonstrari possit. Deinde ostendemus, Etiam cre-  
ationem temporalem, saltem in particulari quodam effectu,  
Aristoteli cognitam fuisse.

XXXVII. Fecimus autem jam antea indicium, & sa-  
tis, ut reor, evicimus, ex serie causarum & quod tandem  
ad unam aliquam primam deveniendum sit, creationem  
investigari posse. Jam verò Aristoteles lib. II. Metaph. II.  
disertè pronuntiat, in nullo causarum genere procedi in in-  
finitum, sed tandem subsistendum in omnium prima esse.  
*Quod est principium aliquod, ait, neque sunt infinita entium cau-  
sa, neque in rectum seu in nullo causarum genere, neque secun-  
dum speciem & in diversis generibus, manifestum est. Neque e-  
nim fieri potest, ut hoc ex hoc, tanquam ex materia in infinitum ab-  
eat, veluti caro ex terra, terra ex aère, aër ex igne; atque hujus  
progressionis nullus sit status. Neque id, unde est principium mo-  
tus, sive causa efficiens: — Eodem modo, neque id cujus gratia  
(causa finalis) in infinitum ire potest. — Similiter res habet in  
eo, quod quid erat esse, seu in causa formali. Et in serie effici-  
entium causarum progressum non esse in infinitum, Aristo-  
teles ita probat: Mediorum, extra quæ est aliquid extremum &  
prius, necesse est, quod prius est, causam ipsorum esse, quæ sunt post  
illud. Si enim nos dicere oporteat, quodnam ex tribus causa sit; pri-  
mum dicemus. Neque enim extremum sane causa est, cum ulti-  
mum nullius sit causa, adeoque nec primi nec medij: Sed nec  
medium; cum sit unius causa, nempe ultimi; unde primi causa  
esse nequit. Nihil enim interest, unumne an plura sint infinita:  
Certe infinitorum hoc pacto, & omnino infiniti partes omnes usque  
ad presentem, ratione eadem media sunt. Quare si nihil est pri-  
mum, nulla omnino causa est. Ita Aristoteles, Quæ verba li-  
cet*

in Exposit.  
hujus text.

Comm. in  
h. l.

cet generalia sint, & ad omne causarum genus accommo-  
dari queant, putamus tamen cum Averroë, Alberto Ma-  
gno, Thoma & Scoto, Aristotelem in præsentia per ea, & no-  
men *causa*, solam efficientem designare; cum initio sequen-  
tis ratiocinij, non minus generalibus verbis utatur: illud  
autem de causa materiali est, uti exempla sufficienter pro-  
bant: cumque *in toto capite*, ut Fonseca ait, *nulla sit alia ratio,*  
*qua conclusio proposita in causis efficientibus ostendatur, ut ostendi-*  
*tur in alijs generibus causarum.* Vult igitur hoc Aristoteles:  
si datur progressus in infinitum in causis efficientibus, se-  
quitur omnes illas causas esse medias: Patet; quia unaqua-  
que earum aliam priorem agnoscit. Absurdum autem po-  
sterius: Eo enim pacto omnis causa tollitur & causalitas,  
cum causa media causandi potentiam sortiatur à prima,  
quâ negatâ, neque media causare potest. Ergo & prius.  
Quin: si causæ efficientes omnes mediæ sunt, Ergo prima  
non datur: si non datur prima, etiam media non datur, quia  
media causa à prima dependet, si non immediate, tamen  
reductive. Negatâ igitur prima & media, eliminatur cau-  
sa omnis & causalitas: quod inconueniens cum manifestum  
est, concedi oportet, in causis efficientibus progressum in  
infinitum non dari.

XXXVIII. Pergit Aristoteles, & idem de causis ma-  
terialibus evincit. *At verò inquit, neque indeorsum, cum su-*  
*periora principium habent, infinitus progressus esse potest, ita, ut ex*  
*igne aqua, ex aqua terra, eodemque modo semper aliud quoddam*  
*genus fiat. Duobus enim modis hoc fit ex hoc, (non ut post hoc fieri*  
*dicitur, veluti ex Isthmiis ludis Olympici) aut, ut vir ex puero mu-*  
*tato, aut aër ex aqua. Ac ut ex puero quidem virum fieri dicimus,*  
*tanquam ex eo quod fiebat, id quod factum est, aut ex eo quod per-*  
*ficiebatur, id quod perfectum est. Semper enim est aliquid medi-*  
*um, ut inter esse & non esse generatio, ita quod sit inter existens &*  
*non exi-*



non existens. Qui autem discit fit sciens. Et hoc est quod dicitur,  
quod fit ex discente sciens, ut autem tanquam ex aëre aqua, corru-  
pto altero. Propter quod illa quidem non reflectuntur mutuo, nec fit  
puer ex viro. Non enim fit ex generatione quod fit, sed post gene-  
rationem est. Sic enim dies ex diluculo, quoniam post hoc est, qua-  
re nec diluculum ex die. Altera verò reflectuntur. Proponit  
Philosophus duos modos fiendi hoc ex hoc, sive aliquid ex  
aliquo, non quidem quomodocunque & improprie, qua ra-  
tione festum Olympiorum apud Græcos dici posset fieri ex  
ludis Isthmiis (de utrisque legatur Alexander ab Alexan-  
dro lib. v. Genial. dierum cap. viii.) quia eos sequitur: sed  
magis proprie; ut si (1) ex mutato puero vir dicitur fieri, aut  
(2) ex aqua aër. Quas differentias postea declarat. Sub-  
dit autem: utroque verò modo impossibile est in infinitum progre-  
di. Aliorum enim cum media sint, finis sit necesse est: Alia vero  
reciprocantur mutuo, quippe cum alterius corruptio, alterius sit  
generatio. Nempe, sive illum, sive istum fiendi modum spe-  
ctemus, extrema dari oportet. Positis enim medijs neces-  
sum est poni finem, tam in ascensu quam descensu: uti per  
exemplum patet, quo vir ex puero fieri dicitur; Nam sicut  
alias inter esse & non esse medium est generatio, & fieri sive  
quod fit, medium est inter existens & non existens: ita me-  
dium tunc quoq; obtinet, quando ex puero vir evadit. Atq;  
hoc locum habet in ijs quæ non reflectuntur, sive in quibus  
reditus non fit ad primum; quemadmodum ex viro vice  
versa non fit puer, nec ex die aurora. Habet etiam locum  
in ijs, quorum est reflexio & reciprocatio; uti in aëre & aqua,  
quæ ἔχει σύμβολον πρὸς ἀλλήλα, sive elementa sunt, *symbolum*  
*inter se habentia*, ut Aristoteles loquitur lib. ii. de Generat. &  
Corr. cap. v. Ex aqua enim corrupta generatur aër, &  
rursus ex hoc aqua, quia unius corruptio est alterius gene-  
ratio. Jam posita reflexione sive reditu ad primum, pri-  
mum

num poni necesse est; & sic processus in infinitum in causis materialibus dari nequit.

XXXIX. Quod de efficientibus ac materialibus causis Aristoteles perspicue demonstrarat, id de finalibus ac formalibus sequenti discursu similiter ostendit, firmataque ita positione ista: In causis in rectum, seu in quolibet & eodem causarum genere, h. e. in efficientibus, & cæteris progressum infinitum non esse; quam in fronte capitis poluerat: pro finitate quæ est in causarum speciebus, seu causis diversorum generum sic tandem ratiocinatur: *Si species causarum infinita multitudine essent, neque hoc pacto esset cognitio: tunc enim nos scire putamus, cum causas cognoscimus. Id autem, quod additione infinitum est, tempore finito percurri nequit.* Nempe nulla supererit cognitio & scientia, si in speciebus & diversis generibus causarum progressus infinitus est: quia tunc demum scire putamus, cum causas rerum cognovimus, quas tamen in infinito indagare non possumus. Aut ergo series infinita tollatur in causis, aut scientia omnis & accurata cognitio. Sed hæc proscribi nec potest nec debet. Igitur ista.

XXX. Et ad eum quidem modum Aristoteles ostendit ac defendit statum & terminum in serie causarum; quoposito non potes non pertingere ad creationem, & facile pertinges si vel saltim in genere causæ efficientis & materialis terminum admittas. Data enim prima efficiente & materiali causa, datisque alijs quæ prima causa non sunt, sequitur hæc ipsa producta esse, & quidem vel mediante materia vel non mediante. Si mediante materia: Ergo in prima ad extremum substititur, de qua quæro unde sit. Et nisi ex alia priora est, neque Deo tamen quoad naturam coæterna, sequitur eam esse ex nihilo & creatam. Id autem, quod actione transeunte, sed sine materiæ concursu, productum est, per creationem coepisse, nemo opinor negabit.



gabit. Vides igitur quam prompte ex isto Aristotelis principio creatio fluat: Vnde eam ipsi notam fuisse merito asserimus.

XLI. Nicolaus autem Taurellus, parte alterâ scripti de Rerum Æternitate, locum eum nihil ad rem facere existimat. Quàm belle id probet audiamus. *Multi sunt,* fol. 270.  
*inquit, causarum ordines agentium. In quibus hoc necessario contingit, ut prima sit aliqua. Caro fit ex sanguine, sanguis ex chylo, chylus ex cibo & potu, cibus & potus ex fruticibus & vitibus est. Frutices & vites ex seminibus, aqua item & terra sunt: in hisce consistendum est, nisi velis ad primam procedere materiam. Quid multus opus est? Hic tot Aristoteles primas facit causas, quot diversorum effectuum sunt ordines. Et in hisce quidem nullam omnino Dei rationem habet. Lepidè profectò! Esse multos causarum agentium ordines, in quibus necessario prima aliqua sit, dicit Taurellus, & inde deducit, quia caro fiat ex sanguine, sanguis ex chylo, & sic deinceps, donec perveniatur ad aquam & terram. At verò, sint multi causarum agentium ac efficientium ordines (tolerari enim id potest si recte explicetur). Quando verò & quomodo ille noster probabit, in omnibus necessario aliquam primam esse? An inde, quod caro fiat ex sanguine, & hic aliunde, donec tandem in terra & aqua subsistatur? Equidem Taurellus ita positionem suam roborat. Sed quis vel puerorum unquam, de agentibus & efficientibus causis locutus, thesin suam per materiales, & exempla inde petita probavit? Si caro fit ex sanguine, sanguis ex chylo, chylus ex cibo & potu, ac ita porro: an hic ordo est causarum agentium? Interim ultra aquam & terram in serie illa juxta Taurellum non progredimur! Age fingamus ita esse. Sane sequitur inde, aquam ac terram non esse ex alia materia. Si autem ex alia non sunt, & existunt tamen, sed non*

ex ac per se, unde quæso ortum habent? sive velit sive no-  
lit Taurellus, *ex nihilo* respondendum ipsi est & per crea-  
tionem. Ut ita ex tradito Aristotelis principio etiam se-  
cundum Taurelli glossam creatio inferri possit; neque hoc  
quenquam fugiat, ipsum anno magno Platonis, h. e. nun-  
quam, probaturum, quod Aristoteles hic tot primas faci-  
at causas, quot diversorum effectuum sint ordines, nisi  
forte vocabulo *primitatis* egregiè ludere, & more solito  
ineptire velit. Sed Dei tamen in hisce nullam omnino ra-  
tionem habet Aristoteles! Audio, & repono, quod non  
habeat explicite, habeat tamen implicite. Qui enim fi-  
nitatem in genere causæ efficientis asserit, primam eo ipso  
admittit, & nullam propterea Dei rationem habere non  
potest.

XLII. Revertimur ad Aristotelem. In libro ix. Met. i.  
*Potentia & actus*, inquit, *latius patent, quam illa que secundum  
motum solum dicuntur.* In Primo autem cap. ii. *Deus tum cau-  
sa omnibus esse videtur, tum quoddam principium.* Et cap. iii.  
*Qui mentem (DEVM) quemadmodum in animantibus, sic in na-  
tura causam cum mundi, tum etiam totius ordinis esse dixit, is præ  
superioribus temerè loquentibus, quasi sobrius visus est. Atque  
Anaxagoram quidem hos sermones palam terigisse scimus: Sed  
tamen Hermotinus Clazomenius id prius dixisse fertur.* Si verò  
in Aristotelis doctrina non omnis potentia & actus motum  
& subiectum respicit, si que ibi Deus mundi & omnium re-  
rum causa est, in eadem fundamentum habere creatio-  
nem inficias non ibit, qui unum ex altero legitime potest  
deducere. Atque idem prorsus colligimus ex ii. Met. i:  
*Principia semper existentium necesse est verissima esse: Hoc est,  
Deus cæteris causa est ut existant: nihil quicquam morati,  
quod iterum Taurellus petulantiore effutit, Aristotelem,  
cum hæc scriberet, de Deo non plus cogitavisse, quam nostrates  
jam bo-*

f. 169.

jam bovas de rege cogitent Hispaniarum, futurus ne sit Europa  
Monarcha nec ne. Nisi forte Peripateticorum Deus sit calidus,  
ut res calefaciat, vel frigidus, ut frigiditas efficiat. Nempe exi-  
stimat, juxta Aristotelem, non Deum, sed ignem causam  
esse primam. Vnde postremo: Esto igitur, ait, ignis Peripa-  
teticorum Deus. At alium etiam oportet esse qui refrigeret. Nos  
cum ineptias istas jam tum supra profligaverimus, denuò  
non confutabimus.

XLIII. Sed & XII. Met. iix. Deum absolute causam  
& principium vocat Aristoteles: & cap. VII. principium quod  
non aliter contingit se habere, sed simpliciter est: Atque ait: A  
tali principio (DEO) tum cælum tum natura dependet. Fatetur  
Venerabilis Beda initio suorum Axiomatum, Aristotelem  
ibi de Deo loqui, effatumque istud ita format: A Deo depen-  
det cælum & tota natura: sed addit, dependere juxta eum tan-  
tùm in conservari, non vero in fieri & produci. Illa, inquit,  
auctoritas sic intelligitur, quod cælum & tota natura dependent à  
Deo, & quoad fieri seu produci, & quo ad conservari. Secundùm  
Aristotelem tamen, qui falsò opinatus est, materiam primam esse  
Deo coeternam, & ipsum mundum fuisse ab aeterno, intelligitur  
duntaxat quoad conservari, non autem quo ad fieri. Materia enim  
prima secundum ipsum non est facta, nec mundus, sed fuere ab aeterno.  
Hæc Beda. Sed nemo non videt, Bedam falsâ niti hy-  
pothesi; quâ cadente, etiam ista, quæ de Aristotele dixit,  
ultrò corruunt. Nos eam tunc infirmavimus, cum adver-  
sus Pererium disputarem. Taurellus verò rem alio mo-  
do aggreditur, & negat, nomine Principij & Causæ in allato  
octavo capite Deum ab Aristotele intelligi, quia Deus toto  
contextu ne semel quidem nominetur. Quasi vero explicitum  
Dei vocabulum necessario hic requiratur, & alium quàm  
Deum integer contextus admittat. Paulò ante autem, præ-  
missio hoc Aristotelici dicti sensu: Ex tali cælum & natura pen-  
dens

axiom. 1.

ad argum.  
7 in th. 28.  
29.

fol. 271.

dent principio, quod simpliciter sit necessario, scilicet ut aliter omnino esse nequeat: annectit & infit: *Hic causa desiderantur, ob quas cœlum & naturam oporteat à tali pendere principio.* Quæ tamen inania prorsus sunt: Sufficit enim pro præsentis, Aristotelem, ex cuius assertis & hypothesebus nunc disputandum, ita dixisse: Nam causas reddere, cur cœlum & naturam à tali principio pendere oporteat, aliò pertinet. Pergit: *Quid, ignis ut urat, & res calefaciat ceteras tali eget principio? Siq; ignis a nullo superiore pendeat principio, cur cœlum ab alio pendere necesse sit?* Resp. Ut verum à Taurello supponi, quod falsissimum & ludicrum, vix quisquam est qui non advertit & ridet, nosq; hypothesein istam pridem diluimus. Addit: *Quomodo etiam natura, quomodo cœlum à necessario illo principio pendeat, nequaquam est expositum. An scilicet ut à movente, vel ut ab efficiente.* Resp. ut ab utroque, si secundum Philosophum loquamur. Quod enim Aristoteli est Primum Movens, idem & prima causa efficiens: quamvis in capite citato septimo primus motor tantum ut finis induci videatur: Ideò autem Aristoteles id fecit, ut eius immobilitatem declararet.

cxlii 100. *immortale & divinum, intransmutabile, primum ac maxime summum, quod neque habet pravitatem ullam, neque indigens suorum bonorum ullo est.* Id autem est Deus. Et adstruit, quod ab eo alijs pendeat, his quidem exactius, his autem obscurius, esse & vivere. In altero Rhetoricorum cap. xxiii. inquit: *Dæmonium nihil est, nisi aut Deus, aut Dei opus. At quicumque existimat Dei opus esse, eum necesse est existimare, etiam Deos esse.* Quæ quæ verba Franciscum Murciam allexerunt, ut in Disput. i. super Octavum Phisicorum scriberet: *Addo præterea, revera Aristotelem cognovisse creationem, nam in Rhetoricis docet, dæmones factos fuisse à Deo, cum tamen facti fuerint per creationem.* Tantum Taurellus more suo oggannit: *Nimis leve hoc est, ut*

fol. 267.

alia

alia sunt quæ loco proferuntur alieno. Quid? An putas hanc Aristotelis fuisse sententiam. Toto certè cælo errat, quisquis hoc putet. Quid enim alia sunt cælorum mentes motrices, quam demones? si verò hæc Dei sunt opera, quomodo cælos ab æterno moverunt? Scilicet contradictionem implicare existimat Taurellus, si quis intelligentias ab æterno, & Dei tamen opera esse, dixerit. Quam quidem contradictionem vellem Taurellum monstrasse. Sane ut Deus ab æterno fuit omnipotens (alia nunc non urgemus) ita ab æterno naturas creabiles, si voluisset, creare potuisset. Ne dicam fictum & falsum esse, quod juxta Aristotelem intelligentiæ cælos ab æterno (pro ut quidem Taurellus id accipit) moverint.

XLV. Ut autem Aristotelis ista principia & asserta omnia, quæ hæcenus produximus, creationem evidenter inferunt: ita non minus valet & præclarum hoc nomine est, quod in eximio ejus *περί κόσμου* libro cap. vi. legitur, & sic habet: *Vetus sermo est, καὶ παλαιός ἔσθ' ἀ majoribus proditus inter omnes homines, universa tum ex Deo, tum per Deum constituta fuisse atque coagmentata.* Nec dici potest, librum illum Aristotelis non esse, ut ut doctissimi Viri (quorum tamen existimationi nihil detractum cupimus) ita sentiunt. Etenim jam tum circa medium secundi seculi post natum Christum, Iustinus Philosophus eum ab Aristotele scriptum confirmavit, uti ex ipsius ad Græcos Parænesi notum est; quod sane tanti Viri fidum ac luculentum testimonium temere rejci non debet, cum eo antiquior vel æqualis afferri non possit, qui Philosophi librum esse discretè neget. Quod enim Diogenis Laërtij, Iustini *συγγραμμάτων* Catalogus librorum Aristotelis, in quo hic ipse non continetur, allegari solet, nihil ad rem facit: nam eos etiam Laërtius omittit, qui iudicio Peripateticorum indubitato Aristotelis sunt. Alios non rarò imperfecte allegat. Neque ob-

que obstat quod Iustinus scribit, Aristotelem in dicto li-  
bello brevem quandam Philosophiæ suæ delineationem  
proponere; & nec Logica tamen neque Practica ibi inve-  
niuntur. Etenim ratione Philosophiæ naturalis & subli-  
mioris, id intelligendum esse, hæc, quæ in ipsa libri de Mun-  
do fronte leguntur, sufficienter indicant: *Mihi quidem sæpe  
divina quedam res, Alexander, admirationeque digna visa est  
Philosophia: præcipuè vero ea in parte, in qua sola ipsa sublimè sese  
tollens ad contemplandas rerum naturas magno illic studio conten-  
dit, existentem in eis veritatem cognoscere.* In fine capitis:  
*Proinde dicere ipsi aggrediamur de iis omnibus universum collectis,  
quamque fieri potest maximè Theologica commentatione edisse-  
rere, qua nam sit cujusque horum natura, situs, motus.* Atque  
sit ita, Iustinum non ubiq; verum libri ejus sensum affecu-  
tum esse; non putaverim tamen, ipsi inde testimonio, quo  
liber Aristoteli adscribitur, valoris quicquam detrahi pos-  
se. Deinde eadem hîc dogmata reperias, quæ alibi in  
Aristotele traduntur. Cælum motu perpetuo cieri tum  
alijs in libris, tum altero de cælo cap. iii. expresse docet.  
*Quoniam cælum, inquit, tale est (corpus enim quoddam divinum  
est) ob hoc habet circulare corpus, quod natura circulariter move-  
tur semper.* Idem in eo, qui *περί νότου* est, cap. ii. inculcat:  
*Cælum cum divinis corporibus plenum sit, quæ sidera nos appella-  
re solemus, motuq; sempiterno agatur uno circumactu, orbisque  
ductu eodem: perenni utique in ævum tenore rapta secum illa  
circumagat corpora.* Cælum esse substantiæ igneæ qui-  
dam olim censuerunt: quam opinionem his verbis hîc re-  
jectam videmus: *Cæli porrò siderumque substantiam, appella-  
mus atherem, non quidem idèò quod ignita flagret ipsa, ut aliqui  
censuerunt.* Rejecta etiam est lib. i. Meteor. iii. *signum suffi-  
ciens, quod qui sursum est locus non sit calidus neque ignitus, est  
etiam discursus astrorum.* Libron. de Cælo Cap. i. & passim  
alibi

c. 17

1021. 11

alibi, cœlum non corrumpi Aristoteles docet, eoque sensu ibidem  
ac lib. i. cap. iii. sempiternum vocat: imò divinum; & tandem addit:  
*Quapropter tanquam altero quodam existente primo corpore præter terram,  
& ignem, & aërem & aquam æthera appellaverunt supremum locum, à cur-  
rendo semper sempiterno tempore ponentes ipsi denominationem. Eadem in  
hoc de Mundo libro invenimus: Cœli substantiam appellamus ætherem,*  
*—origine huius vocabuli inde deducta, quod semper æther currat motu cir- c. 21*  
*cum ductili, cum sit illud elementum à quatuor illis diversum, tum divinum  
tum interitus expers. Capite vi. ista leguntur: summam & primam sedem  
mundi sortitus est Deus, & in summo culmine universi cœli suum habet ipse  
domicilium situm & collocatum. — Proinde id præstabilius esse censemus, Deo-  
que tum decentius, tum magis consentaneum, ita de eo opinari, ut dicamus,  
potestatem illam in cœlo sedes suas habere. Similia prorsus lib. i. de cœlo  
c. iii. habemus, ubi Aristoteles: Omnes homines de Diis habent existima- text. 2.*

XLVI. Præteriri autem & negligi non debet, quod Alexandro  
Macedoni liber iste dicatus est, regisque ingenio digna complecti-  
tur, non minus eleganter quàm breviter exposita. Quæ res sane Fran-  
ciscum Patritium, rigidum aliàs & sæpe iniquum librorum Aristoteli-  
corum censorem, permovit ut Tomo i. Discussionum Peripatetica- lib. 6. fol.  
rum scriberet: In libro de Mundo qui ipsi Alexandro inscriptus ab Aristo- 44. a.  
tele est, ipsi Aristoteles totam, tum divinam tum naturalem Philosophiam;  
doctrinas scilicet secretiores acroamaticas per compendium, Regio scilicet  
otio ac ingenio accommodatas, tradidit. Neque enim Physicis illis aut primæ  
Philosophie libris quicquam continetur, quod regi muneris inseruire possit;  
imò potius omnia quæ non solum occupatissimum Regem delectare aut instrua-  
ere non possunt, sed etiam otiosissimis studiosissimisque, & labores ingentes &  
tedium incutiant. E contra liber de Mundo, & partes omnes ipsius, & ordi-  
nem & Geographiam, & aëris passionem & divinam providentiam explicat:  
quæ omnia regi & populorum Reçtori, & exercituum ductori maxime con-  
ducere queant. Atque ea methodo eo libro comprehensa sunt, ex qua facile  
vel memoria repetere, quæ à præceptore prius audierat, vel etiam sine tadio  
relegere Alexander posset. Quam methodum Regibus idoneam esse declarat  
Ptolomei

*Ptolomei Philadelphi desiderium, quem refert Proclus ab Euclide requisisse, an esset aliqua in Mathematicis Regia methodus, quâ per compendium iis disciplinis imbuï posset; tulisseque ab eo responsum, nullam esse. Et addit post aliqua: Nec quia proæmium non sit de Aristotelis more, liber is Aristotelis non est, cum nec discipulos alloqui de ipsius est more, quod tamen in fine libri Elenchorum facit. Neque idcirco, Aristotelis eum librum non esse, est à quoquam unquam assertum. Hæc Patritius. Si qui dixerint, ab alio dedicationem & præfationem illam adscriptam esse, probandi onus, quod nunquam excutere poterunt, in se temerè derivabunt. Quæ aliàs objici solent de Britannia & Hybernia, quæ Aristotelis tempore revera ignotæ, & saltim Poëtarum fabulis celebres fuerint; item de Hypato Deo, quem Aristoteles non cognoverit; in hoc autem de Mundo libro ut plane cognita adducantur: Vel, quod libellus ab Aristotele alibi non allegetur; & similia, momenti nullius sunt, quamvis firmum in ijs multi præsidium quærant. Daniel Heinsius peculiarem, de Autore libelli de Mundo, dissertationem edidit, novæ Orationum editioni suffixam, in qua multis congestis argumentis ostendere nititur, eum Aristotelis non esse. Scimus tamen doctissimum Virum Olausum VVormium, egregio eadem de materia emissio opusculo, contrarium jam pridem monstrasse ac defendisse, quem & Clarissimus Vir, nostræque Academiæ eximium quondam ornamentum, Henricus Iulius Scheurl in Bibliographia Morali hoc nomine laudat: deque ipso *περί κόσμου* libro rectè apponit: *Qui ab aliquo Peripatetice Philosophiæ cultore ex Aristotelicis dogmatibus decerptum, vel potius excerptum esse statuunt: hi verò, quod ad rem faciat, nihil dicere videntur. Sufficit enim, quod sit doctrina Aristotelis & à cæteris ipsius dogmatibus non recedat.* Heinsij rationes ut fucò saltim probè illinitæ, sic exigui quin nullius valoris sunt. Nos & istas & alias, si quæ fuerint, datâ ansâ in conflictu publico solvemus. Atque ista ex occasione.*

XLVII. Hactenus ex Aristotele excerptimus & huc transfusimus evidentia principia ac fundamenta, unde creatio, saltim in genere, desumi & bonâ consequentiâ inferri potest. Ideoque eam Aristoteli cognitam fuisse meritò nunc concludimus. Superest ut ostendamus, etiam temporalem ipsum cognovisse, saltim in effectu quodam particulari. Id autem verbo fiet.

XLVIII. Libro II de Generatione Animal. cap. III. vegetanti ac sentienti animæ Aristoteles tribuit, quod à materia & semine tantquam subjecto dependeat: De rationali verò inquit: *Restat ut mens (anima rationalis) sola extrinsecus accedat, eaq; sola divina sit. Nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis.* Si verò anima rationalis



nalis non educitur de potentia materiæ, seu à subiecto non depen-  
 det, sed extrinsecus corpori ad recipiendum apto accedit, atque di-  
 vina sive à Deo est, creatam esse oportet. Vnde quotquot in loci hu-  
 jus expositione versantur, omnes pone de animæ rationalis creatio-  
 ne eum accipiunt. Lucillus Philalthæus in Proæmio Commentario-  
 rum ad III. librum de Anima: *Aristoteles veritate impulsus, animam de-*<sup>f. 310.</sup>  
*foris accedere divinitus, dixit, eamq; rem divinam prodidit. Quod si res*  
*divina est, à Deo ortum suum & creationem habet, quare essentia est condi-*  
*ta à Deo & non à parentibus per semina & menses, neq; ex putri materia, neq;*  
*ex ovo, neq; vermiculari substantia orta, ut animæ aliorum animalium pro-*  
*deunt. — Anima rationalis non constituitur per subiectum, nec ab eo pendet,*  
*sed à Deo. Et in Comment. ad Contextum XI. Anima rationalis, ait,*<sup>scilicet. 2. f. 339.</sup>  
*apud Aristotelem constat ex multiplici potentia & una essentia — cuius essen-*  
*tia & substantia incorporea, non è semine, sed divinitus de foris accedit. Ita in*  
 commentarijs suis Philalthæus; quæ post ejus obitum publicæ utilitatis  
 causa superiori seculo edidit Gregorius Benvenutus Lucensis. Lu-  
 cillo jungimus Conimbricenses, qui in Tractatu de Anima Separata  
 Disp. I. art. II. cum illum ipsum, quem jam tractamus, Aristotelis lo-  
 cum citassent, subdunt: *Quibus verbis significat Aristoteles, animum hu-*  
*manum non educi è gremio materiæ, sed divinitus creari, atq; adeo immor-*  
*talem esse. Cuius contrarium ante illa verba, quæ nunc citaverat, premise-*  
*rat de formis cæterorum animantium, eas videlicet extrinsecus advenire non*  
*posse, quod operationis tantum corporeæ sint principia. Attexunt quæ hîc*  
*legi omnino debent: Nec audiendi sunt, qui susceptæ opinionis retinenda*  
*studio, hunc locum adeo detorquent, & de Intellectu agente, id est, de Deo,*  
*intelligendum arbitrantur; cum Aristoteles non de Deo, sed de anima; nec de*  
*divino, sed de humano intellectu eo loco palam differat. Quos etiam Philo-*  
*ponus scita ratione urget: Qui fieri possit, inquit, ut de Divina mente il-*  
*lud ab Aristotele dictum putemus, cum scribat, non satis hoc adhuc constare,*  
*utrum hæc vis à cæteris animæ facultatibus, & ab ipsa materia abiungi pos-*  
*sit? siccine de prima mente loqueretur? Annon omnibus certum est, hanc æ-*  
*ternam, & omnis interitus expertem esse? Hæc ille. Et cum eo Conimbri-*  
 censes. Alios adducere nihil attinet, neque vacat.

XLIX. Inquis: Dixerit Aristoteles, animam rationalem crea-  
 ri: ubi verò, quod creetur in tempore? Forte enim voluit, quod ab æ-  
 terno unaquæque à Deo producta sit, & disposita ac ad recipiendum  
 aptæ materiæ hodie inmittatur. Resp. Libro XII. Metaph.  
 C. III. docet Philosophus, nullam formam, & sic nec animam ratio-  
 nalem, existere antequam materiæ uniatur; hanc tamen à corpore  
 egressam separatim posse existere. *Causæ, inquit, moventes & effici-*  
entes,

entes, tanquam antea existunt: qua vero ut ratio seu causa formalis, simul sunt cum formato, & antea non existunt. Declarat: Cum enim sanus sit homo tunc etiam sanitas est, non ante: sanitas autem forma hominis sani est. Et forma aenea Sphæra simul atque aenea sphaera. Si (an) autem aliquid posterius & corrupto corpore permanet, considerandum est. In quibusdam enim nihil prohibet ut permaneat & subsistat, Veluti si anima tale sit, non omnis, sed intellectus seu ea quæ rationalis est. Omnem namque animam persistere corpore corrupto, fortassis impossibile est. Quod si vero Anima rationalis juxta Aristotelem non existit ante sui cum corpore unionem, & à Deo tamen per creationem est: Etiam in Aristotelis schola ab æterno non est creata. Ergo in tempore & cum essendi novitate.

L. Certè evidentia ejus, quod ex altero de Generatione Animalium produximus, Augustinum Niphum vi quadam adigit, ut, cum antea temporalis creationis notitiam Aristoteli derogasset, eam ipsi tandem adscriberet, & palinodiam caneret. Hanc Recognitionibus suis post Commentum Averrois LXXIIX. in primo Physicorum inseruit, & sic habet: In commentarijs asserui, creationem temporalem nec esse Peripateticam nec esse Platoniam: In libro vero de Intellectu asserui, creationem temporalem, non tanquam expressam ab Aristotele, quoniam nullibi, ut per se quassum eadem determinavit: sed tanquam ea sequentem, qua Aristoteles asserit, vel tanquam non repugnantem his, qua ipse fatetur. Demum in eo libro quem scripsi nuperrime de Immortalitate Anima, hac omnia retractavi, & asserui, temporalem ipsam creationem, saltem intellectiva anima, esse Peripateticam: non tamen quod de ipsa Aristoteles seorsum quasi per se quassierit, pro utraque parte adducendo argumenta & opiniones, & tandem determinando, — sed bene tractando de aliis, obiter interseruit valentem creationem. Nam libro secundo de Generatione Animalium, disputans de generatione animalium, qua fiunt ex semine, interseruit de modo, quo intellectiva anima advenit semini, & declarat tria; & quonam tempore recipiatur; & quonam modo; & unde; hoc est, utrum ab agente extrinsecus efficiente, an ex ipso semine traducatur. Et loquitur de intellectu, qui accipitur pro tota ipsa intellectiva anima: nam paulo ante se exponens, declaravit intellectum, qui est intellectiva anima, esse formam qua homo est homo, & ita loquitur de intellectiva anima, qua adventu ultima est. Et declarans illa tria, vult primo, mentem semini advenire ultimo loco post sensualem, quia, ut inquit, primo ei Vegetaria, deinde sensualis ex semine traducitur, ultimo rationalis accedit: ubi inter rationalem & intellectum nullam fecit differentiam. Deinde declarans secundum, asserit rationalem non venire in semen, sicuti cetera veniunt, qua educuntur de potentia materia, quod probat argumento, sumpto ab operationibus anima rationali. Deinde exponens tertium, eam accedere asserit extrinsecus, & ita ab agente, extrinsecus ipsam producente, per qua patet, eum clarissime temporalem creationem assignasse. Nam cum, ut inquit, rationalis ex semine non traducatur, per generationem non fit, sed, cum extrinsecus accedat, per creationem fiat necesse est. Sic mentem Aristotelis explanat, veteremque opinionem suam per ea correxit Niphus.

LI. Dices: Creationem in tempore esse fidei articulum solis Christianis notum, ideoque ejus notitiam Aristoteli absurde tribui. Resp. (1) Creatio & productio Temporalis *Universi* articulus fidei est, non alicujus particularis effectus. (2) Eadem non est fidei articulus purus, sed mixtus, qualem & ipsis gentilibus saepe notum fuisse constat. De Lino & Anaxagora hæc habet Laënius: *Linum, Mercurio Munda saque Urania genitum affirmant: scripsisse autem mundi generationem, solis item & Luna cursus, animalium & fructuum generationes. Hoc autem operi suo fecit initium: Tempus erat quo cuncta simul sunt condita quondam. Quem sequitur Anaxagoras, & ipse simul facta omnia asseruit, eaque mente accedente composuit.*

F I N I S.

in proce-  
ad vit. Phil.  
., m. 3.

706 5320

8

ULB Halle

3

003 615 189




Sb.


Retros

VD 17

*[Handwritten signature]*







B.I.G.

Farbkarte #13

ΘΕΩ.  
 Ε  
 ΤΙΩΝΕ  
**STOTE.**  
 NOVERIT  
 ONEM?  
 ITATIO,  
 A M  
 tissimi Philoso-  
 Ordinis  
 SIDE  
**RIXNERO**  
 PH. MAG.  
 IDITORIO MAIORI.  
 Septemb.  
 defendet  
 NRADVS Schneider  
 is Noricus.  
 STADI  
 MULLERI Acad. Typ.  
 D D C LIX.

*Ce 2103.*

*an 3*

*+*

